


1
7
116











IOANNIS NICOLAI SAVLII CARREGAE GENVENSIS

EPISTOLARVM LIBRI TRES POSTERIORES.


AD PERILLVSTREM DOMINVM D. LAVRENTIVM CENTVRIONEM.

IOANNIS IACOBI FILIVM.





GENVAE,
IN AEDIBVS IOSEPHI PAVONIS.
CIϽ IϽ C XIX.
SVPERIORVM PERMISSV.



AD PERILLVSTREM DOMINVM D. LAVRENTIVM CENTVRIONEM IO. IACOBI FILIVM.

LATINA lingua recte vtentium, quod te non fugit, Laurenti adolescens nobilissime, mira semper paucitas fuit. Huius difficultatis caussas recensere apud te præsertim omni liberali doctrina politissimum laborem duco superuacaneum. Illud potius dixerim Viros illos veluti quædam huius linguæ tutelaria numina appellandos, qui rem vtilem pariter, ac necessariam si minus viuentem omnino, spirantem adhuc certe, depromptis ex ingenij officina vitalibus pharmacis fouent, & conseruant. Quam quidem ad rem

quantum adiumenti attulerint Io. Nicolai Saulij Carregæ præclara monumenta, non meæ mediocritatis eſt iudicare. Standum potius arbitror eruditorum hominum teſtimonio, quorum ſerijs de hoc viro ſermonibus cum ego ſæpe interfuerim, hoc illi elogium impertitum audiui, vt dicerent recentem hunc ſcriptorem cum Tulliani æui ſcriptoribus dicendi elegantia comparandum. Quid ego commemorem quam mire, & vere extollerent tres eius Epiſtolarum libros quondam editos? Specimen eloquentiæ, ingenij, eruditionis, ſuauitatis, & leporis opus illud appellabant. Quamquam hæc laus nihil eſt præ illa laude, quæ luculentiſſimis tribuebatur epiſtolis, quas huius ſcriptoris induſtria deinceps elaborauit. Nam, ſiue ad amicos officioſe ſcribat, vel reſcribat; ſiue eorum immaturos obitus defleat; ſiue ad virtutem currenti calcaria, ad vitium precipitanti frœnos adhibeat; ſiue me-

mo-

morabiles actiones ad imitandum describat; siue etiam suam ipsius mentem grauioribus studijs defessam hoc alleuamento reficiat; quæ, aiebant, in verbis puritas, proprietas, concinnitas; quod in sententijs pondus, acumen, decus desideratur? His ego clarissimis vocibus impulsus eas ipsas epistolas diligenter vndique conquisiui, conquisitas in volumen redegi, typisq; imprimendas curaui. Dedita autem opera effeci, vt in tres distributæ libros tres itidem priores libros subsequerentur; tum vt vtrumque opus, veluti amantissimi fratres eodem parente prognati, alterum alteri auxilio foret; tum vt ex illo ineuntis adolescentiæ, hoc maturioris ætatis fœtu, quid absolutum magis in dies hic fœcundus eloquentiæ parens pepererit, dignoscatur. Vtrum autem sincero, subtiliq; iudicio, an secus, hæc ipsa scripta perpenderint viri illi, quamuis probata omnibus eorum eruditio, atque integritas omnem tol-

lat

lat dubitationem; ſi quiſquam tamen eſt, qui recte examinare poſſit, tu is profecto es, ornatiſſime Laurenti. quid enim animo tuo candidius? quod genus prudentiæ eſt, ad quod ingenij tui aciem non exacuerit aſſidua intelligendi exercitatio? Noui ego te, cui pro ſummo munere datum a Deo eſt, vt in eodem diſciplinarum curriculo vna tecum longo licet interuallo ad metam contenderem. Quid dixi, ego? nouit vniuerſa fere Ciuitas, quæ ad te Philoſophicas theſes publice defendentem cum accurriſſet, acerrimum Achillem cum fortiſſimis bellatoribus dimicantem ſpectare ſibi viſa eſt, frequenti litteratorum theatro, ipſiſq; Societatis Ieſu Patribus ſtudiorum tuorum ſigniferis, plaudentibus, obſtupeſcentibus. Enunciata ſapienter, propoſita viriliter, confirmata acriter, reſponſa acute, diſtincta dilucide ſuſpiciebant omnes. O fortunatum adoleſcentem, qui quo tempore præmaturi flores videri

po-

potuiſſent, cum vix quartum, & decimum annum attingas, eo ipſo fructus edis tam maturos. Potuiſſes familię tuę ſplendore contentus titulis, imperijs clariſſimæ, procerum amicitijs, Principum cognationibus florentiſſimæ, rerum geſtarum gloria, nauata vel Reip. vel ſummis Regibus militari opera celeberrimæ, otioſam, ſed tamen honeſtam ætatem traducere. Potuiſſes non dubitanter dicere proauos, atauosque tuos domi Reip. lumina, belli hoſtium terrorem, Sacra toga Romanæ aulę ornamentum, litteris omnis doctrinæ Sacrarium, vita, & moribus ſanctitatis normam, ſatis tibi, vnde merito glorieris, reliquiſſe. Potuiſſes eiuſdem familiæ opes oſtentare, quæ opulentiſſimo Hiſpaniarum Regi grauiſſimis in bellis, maximisq; rei nummariæ difficultatibus opem ſæpius attulere. Potuiſſes poſtremo aſſerere, qui Chriſtophorum Centurionem auum habeat, Io. IACOBVM parentem, Baptiſtas,

Phi-

Philippos, Adamos, Vincentios, Octauios patruos, meritis in patriam insignes, virtutibus claros, factis inclitos, pia liberalitate conspicuos, publica munificentia vix imitabiles; qui denique MAGDALENAM SAVLIAM prisci exempli matronam, matrem nactus sit, quæ Laurentium patrem Reip. Ducem, Antonium patruum. S. R. E. Cardinalem amplissimum simul viderit; huic non esse obscuritatis tenebras pertimescendas. Hæc, inquam, & multa præterea ad otij excusationem occurrissent. Verum enimuero perfectæ nobilitatis lucem intuens, quę non auita decora per otium legendo, & prędicando, sed per laborem æmulando, eademq; peragendo comparatur, perspexisti maxima, splendidissimaq; ingenia haudquaquam conquiescere, donec, quorum progenies essent, eorumdem imitatores egregij virtutes, & facta vel æquarent, vel etiam peculiaribus sibi adiunctis insignibus, superarent.

rent. Itaque Herculis ritu arduam vir-
tutis ſemitam ingreſſus quos diurnos,
nocturnosque labores non ſuſtines, vt
quotidie longius progrediaris? nec ve-
ro ceteros ſolum, ſed te ipſum, ſed æta-
tem præcurris; eaque iacis fundamen-
ta rerum per te gerendarum, vt nemo
vnquam paratior, alacrior, vigilantior
ad gloriam capeſſendam acceſſiſſe vi-
deatur. Teſtis eſt tua in animi prauita-
tibus profligandis vigilantia. teſtis pie
viuendi, quam ſequeris, domeſtica Pa-
rentum diſciplina. teſtis vox vniuerſæ
Ciuitatis, quæ te vnum admiratur,
vnum celebrat, vnum liberis ſuis præ-
clariſſimum ingenui pudoris, ſingula-
ris humanitatis, probitatis integerri-
mæ, inauditę modeſtię, & temperantię
proponit. Cum igitur pulcherrimam
virtutis formam dictis, factis, vita, mo-
ribus prętęferas; quiſquam dubitabit,
quin tu ad omnia ſumma natus famę
ęternitatem ſis conſecuturus? eia age,
clariſſime adoleſcens, perge conficere

iter, quod instituisti; auge parentes voluptate, Domum gloria, patriam pręsidio, ciues spe, ęquales exemplo, bonos gaudio, te ipsum laude immortali; & hos ipsos epistolarum libros, quos non aliam ob caussam, nisi vt aliquod exstaret meę in te obseruantię argumentum, tibi quolibet amplissimo munere dignissimo, litteratorum hominum amantissimo, ipsiusque Latinę linguę studiosissimo ausus sum consecrare, qua soles animi altitudine excipe, & tuere. Dat. Genuę. Sexto Nonas Quinct. Visitationi B. Marię Virginis Sacro. *CIϽ IϽ C XIX.*

Perillustri Dominationi tuę

Addictissimus

Antonius Paretus.

IN LAVDEM
PERILLVSTRIS
DOMINI
D. LAVRENTII
CENTVRIONIS

ADMODVM. R. P. D. MARCELLINI
SANTAGATHAE,
CLERICI REGVLARIS.

ARTIVM centum puer, alme LAVRENS,
Cana quem virtus teneris sub annis
Nestorem clamat, meritumq; seclis

Viuere centum.

Quod damus gazæ latialis aurum,
Sis licet diues, triplicem libellum
Iure sed munus tibi dedicatum

Sume, precamur.

Scilicet fuluo velut hic metallo
Gemmulis texto Ciceronis aureus
Prænitet sermo, litus ingeniq;

Lumine crebro.

Hic Soror duplex ſociata cultæ
Fundit Aglaiæ pluuiam leporûm;
Nec deeſt illis patris orta quondam

Diua cerebro.

Parua ſint hæc, ni pietas loquelæ
Iuncta ſit flagrans. Stylus intumeſcit
Vanus ampullis, pia corda quem non,

Linguaq; formant.

Feruet hac author, liber, ordo feruet
Hac & authoris, ſibi certus vnde
Trames, & vitæ patuit fruendæ

Norma Beatæ.

Hac tuum, LAVRENS celebrande, pectus
Fulget, ac feruet, iuuenile quamuis.
Hac ſenex tandem ſtabili vireſces

Vsque iuuenta.

Te triplex nexus fouet, ambit, arcto &
Stringit amplexu Charitûm; decebat
Te triplex ergo Charitûm refertus

Arte libellus.

AD-

ADMODVM. R. P. D. CONSTANTINI
DE RVBEIS CLERICI REGVLARIS
CONGREGATIONIS SOMASCHAE.

FLAMINA non centum pauitat, non fulmina centum
Nescia centeno laurus ab axe peti.
Et tua, LAVRENTI, centum cui tegmina, virtus
Vnica centenas ridet vbiq; vices.
I sexcenta liber victurus saecla sub vmbram
Lauri. Non alibi viuere plura potes.

EIVSDEM AD LECTOREM.

HIC liber fauus est. Apis PARETVS
Congerens simul atticos lepores.
SAVLIVS rosa, sugit vnde mella.
Sedulus magis est tamen PARETVS
Hyblaeis apibus. Volant per hortos
Illae, & multiplici sedent lygustro,
Componuntq; fauos, PARETVS vna
Ex rosa latios legit lepores,
Componitq; fauum. Potire, lector,
Et multas age gratias PARETO.

INNOMINATI.

EMICAT humana maior tibi gratia vultu,
Dum loqueris, Diuum vernat in ore melos.
Aligeros caſtis, LAVRENTI, moribus æquas,
Humanum pectus cœlica ſenſa tenent.
Neſcio quis tacito e vulgo ſecum ore volutat:
Ni hic degas, vnum quis neget e ſuperis?

Eiuſdem.

NOBILE ſtemma auidus tacita ſub mente re-
uoluo:
Luminibusque vrſus conſpiciendus adeſt.
Vnguibus ille roſam ſtringit, num gaudet odore?
Cum lætus patulis naribus admoueat?
Tu roſa verna micas ſeptus virtutis odore
LAVRENTI, inque vrſi deligis eſſe manu.
Vt ſi impura roſam contendat carpere dextra,
Vltrices vrſi ſentiat illa manus.

Eiuſdem.

INFINITA foret, ſi neſcia Muſa decores,
Et laudes vellet concelebrare tuas.
Aequoris immenſi potius numerentur arenæ,
Non vaſtum Oceanum paruula foſſa capit.

Es

Es Decus ipse tuæ, LAVRENTI, & gloria gentis,
Ad te hominum gratus mentem, animosq; trahis
Sunt tibi perfaciles mores, pietate renides,
Exprimis & sacræ relligionis opus.
Præcellit niuei diuina modestia vultus,
Diuinum vibrant lumina casta iubar.
Angelicos castis oculis imitaris ocellos,
Ex alto lapsus duceris esse Polo.
Gratia te gratum facit, imperiosa verendum
Maiestas, gratis luminibusq; micans.
Exiguo quanta est regnat quæ in pectore virtus?
Alter Alexander corpore paruus ades.
Tu Sophiæ campus, cedit tibi sceptra Minerua,
Vel certe genitum quis neget esse Dea?
Ingeniosa audit tua qui responsa; stupore
Carpitur, attonitus fingere verba nequit.
Insurgit, faciles præbes, LAVRENTIVS, aures,
Proponit, soluis, quæq; cadunt dubia.
Ingenium celebras pugnantum, & laudibus omnes
Te extollunt, audis quantus es ingenio.
In circum dubius si fors accesserit; ille
Te duce continuo certus abire potest.
Mirantur similes ausus Iuuenesq; senesq;,
Ingens Doctoris vel stupor ossa capit.
Dum propugnator, Sophiæq; acerrimus auctor,
Ingenuusq; artis cultor es ingenuæ.
Qui tibi nobilium applausus spectante corona,

Au-

Auribus & ſuauis perſonat aura tuis?
Nouimus ingenuas artes, Sophiamq; renaſci
Te duce. iam Sophiæ lætaq; prata virent.
Non eſt, cur referant laudes monumenta tuorum,
Laus tua materies fertilis hiſtoriæ.
Purpuream te, Stemma, roſam virtutis odore
Non miror ludo quod ſuper impoſuit.
Fortunæ varios luſus nam ſpernis: honores
Quotquot, LAVRE, optas & decus omne tuum
Te iuuenem matura ſenem prudentia fecit, (eſt.
Corpore qui Iuuenis, mente, animoq; Vir es.
Purpureum diadema caput decorare Iuuentæ
Iam potis eſt; tantum natus ad imperium es.
Stemmatis ipſa tui Roſa ſertum hoc forte precatur,
Purpureumq; tibi vaticinata notat.
Macte animo hæc regnat tenero ſi in pectore virtus,
Virtus robuſti quanta futura ſenis?

IN

IN LAVDEM

IOANNIS NICOLAI SAVLII CARREGAE

ADMODVM REVERENDI P. HIERONYMI PETRVCCII E SOCIETATE IESV.

SCRIBIT *funera* SAVLIVS *ſuorum,*
Scribit funera: non tamen ſuſurros
Ethruſco leuis ore murmurillat;
Ore ſed latio, & dolore vero,
Et docta lacrima irrigat ſepulchrum,
Queis in aſtra reducit, & nigranti
Orco SALIVS *inuidet ſepultos.*
Sic vitam peperit dolor. Dolore
Quid hoc lætius, aut magis beatum eſt?

ADMODVM REVERENDI P. ANDREÆ BLANCI E SOCIETATE IESV.

QVOD *loqueris bene, quod doctæ facundia lin-*
Aemula Romana dicitur eſſe togæ; *(guæ*
Magnus es, & gaudes excelſo nomine, SAVLI,

Et patriæ, & ſecli gloria magna tui.
Quod verò in clauſtris tam ſancta ſilentia ſeruas,
Arcaniſque potes cultor adeſſe ſacris.
Tullius hoc cedit, cui ſic tacuiſſe fuiſſet
Vtilius multo, quàm bene multa loqui.

ANDREAE DE BENEDICTIS.

Contigit eloquij primo cui dicier almi
Princeps Romani, Tullius antè fuit:
Cui tua voluuntur nunc culta volumina, Sauli,
Diceris altiloquo, non Cicerone minor.
Ergo pares; vel ille minor, quem lingua peremit,
Dum vti felici neſcijt eloquio.

IN-

INDEX.

Errata

Pag.	Errata	Correcta.
5.	fanguinis	ſanguinis
6.	deſiberio	deſiderio
25.	reprehenſionem	reprehenſionum
26.	eſſe	eſſe
30.	expreſſa	expreſſa
33.	ament	amant
38.	llud	illud
38.	it	at
41.	& virum	te virum
51.	actiſſime	arctiſſime
52.	operatus	operoſus
51	tū in me meritis tuis impulsū.	tum meritis in me tuis impulsū
63.	vtinam & ad eum	vtinam ad eum
69.	ex longo ſommo	ex longo ſomno
73.	qui mœrore vngendi	qui mœrore vrgendi
79	doctrina	doctrinæ
109	non profecto	nos profecto
114.	vt omnium fraudes	vt omittam fraudes
124	indiligentia	indiligentiæ
126	vtilitari	vtilitati
131.	Vale.	Vale.Genuę.XVI.Kal.Feb.1618.
131.	effigium	effigiem
138.	& non tam graue eſſet	at non tam graue eſſet
142.	in morte Clorindæ	in Clorindæ morte

Nella Volgare.

Pag.	Errata	Correcta.
350.	i ſacri miſteri della fede	i ſacri miſteri della noſtra Fede.


DE Mandato Admodum Reuerendi Patris Inquisitoris Generalis Genuæ vidi has epistolas D. Ioannis Nicolai Saulij Carregæ, necquidquam in eis contra fidem, aut bonos mores reperi.

Iacobus Lambertengus Societatis Iesu.

Imprimatur.

Fr. Camillus Oleuanus, Vic. Sancti Offitij Genuæ.

XII



IOANNIS NICOLAI SAVLII CARREGAE GENVENSIS.

EPISTOLARVM LIBER QVARTVS.

ADMODVM ILLVSTRI, ET REVERENDISSIMO DOMINO, D. STEPHANO SPINVLAE, INTEMELIENSIVM EPISCOPO.

INTEMELIVM.

SI TEMPVS *ſpectetur, ſero quidem tibi gratulor de dignitate tua: ſi ea vero, quæ poſtea conſecuta ſunt, opportunius certè ceteris omnibus, qui hoc officium iam præſtiterunt. Siquidem illi tibi gratulabantur, quod eum te virum futurum ſperabant, qui ſatis huic tibi demandato muneri egregie faceres: at ego, quòd omnium de te pridem conceptæ ſpei reſpondeas, quòdque huic dignitati parem virtutem in te ineſſe oſtendas. Itaque quanto præterita futuris certiora ſunt; quanto res ipſa ſpe laudabilior eſt; tanto mea verior, ac maior gratulatio eſt. Neque vero, qualem nunc dignitatem ade-*

A   *ptus*

ptus sis, tantummodo considero; sed etiam (quæ tibi de hominibus bene merendi cupidissimo facultas conceditur) qui fructus ad Intemelienſem populum, quique ad Christianam Rempub. ex industria tua perueniant, atque adeo peruenturi ſint. Nam, cum vidisses duas esse hominibus in Cœlum vias; alteram in hac communitate vitæ, alteram in aliqua religioſa familia ſeparatim degentibus; ab illa periculoſa deflectens, & hanc tutiorem ingreſſus, in Clericorum Regularium Sodalitatem nomen dedisti. Sed, cum locus ille angustior eſſet, quam vt in eo te totum ad communem vtilitatem poſſes conuertere; alium tibi ampliorem, & patentiorem dari voluit Deus ille, qui res omnes æterna administrat prouidentia. Mouit itaque Clementis VIII. Pontificis Optimi, ac Sapientiſſimi mentem, vt, cum peritiſſimos Viros tanquam Sacroſanctæ Operæ Vicarios vndique ſibi adiungat, te in Eccleſia Intemelienſi Domini vineæ cultorem destinaret; quo, ex animis hominum eradicatis vitijs, in eos virtutis ſemen, probitatiſque ſpargeres, & illud ad optimas fruges in Eccleſiæ horreum importandas educeres. Cuius rei nuncius huic Ciuitati gratiſſimus accidit, quæ te abſentem vt Patrem, Pastoremque coluit, ea manibus, & oculis deprehendere cupiens, quæ iam de virtute tua ſperabat, ac ipſa ſibi tacita cogitatione pollicebatur. Itaque nihil prius habuisti, quam vt ad cariſſimam filiam tuam te conferres, & ad Gregis tui ſalutem præſens incumberes. Qui dies quanto eidem Ciuitati clarior illuxit? quanta lætitia exceptus es? quanta omnium expectatione? cui quidem non modo respondisti, ſed etiam doctrina, & vitæ ſanctitate eam ſuperasti. Quarum altera quanta ſit virtutis pulchritudo osten-

dis;

dis ; altera vero ad eam toto pectore amplexandam homines impellis : adeo vt , non ſolum id , quod prudenter ais , te bene dicere indicet , ſed etiam , quod piè agis , te ſanctè viuere teſtetur . Nulla enim cura te magis ſollicitat , quam vt homines à vitijs deterreas , & ad optimam frugem inuites . Idque vt aſſequaris , nullos labores recuſas: qui ſanè leues tibi videntur, quia vehementi in omnes amore incenſus es . Amore enim potius, quam metu homines tibi faciles, ac beneuolos reddis ; ijsque moderatè imperas , quia iampridem te ipſum regere , & alijs parere didiciſti . Multa prudenter inuenis , quæ alij non excogitarunt . ædes ſacras , vel nouas facis , vel veteres reſtituis . Et quamuis animarum cura difficilis ſit, & graue Epiſcopi munus videatur : te tamen nihil impedit , quo minus illam egregiè ſuſtineas , hoc verò perfectè exequaris , atque obeas . Quibus quidem bonis Diœceſis iſta non ita fruitur , vt non eorum quoque vniuerſa Eccleſia particeps fiat . Nam , cum te in excolendis animis tam diligentem ceteri videant , imitationis ſtudio inflammantur : efficiturque , vt cum ſingulæ partes præclarè ſe habeant , totum Eccleſiæ corpus longe firmiſſimum , & pulcherrimum ſit . Te felicem , atque beatum, qui non modo veræ ſalutis iter ingreſſus es , ſed hoc ipſum alios doces, & exemplo magnopere adiuuas . Hinc Deus Optimus Max. pietatem tuam , ac optimam mentem gratiſſimam habet ; & egregios tuos conatus ad optatum exitum perducit . Nos certè eum precamur, vt tibi diuturnam vitam concedat ; nec prius ſuorum in numerum te recipiat, quam, omnibus & pij hominis, & Optimi Paſtoris officijs impletis , commiſſoque Grege in Cœleſtia Paſcua introducto, Eccleſiam ita conſtitutam videas, vt

vnus Pastor vnum regat Ouile. Vale Genua. Ex *Violarijs xiiij. Kal. Iulij.*CIↃ.IↃ. CIIII.

*

GRATISSIMVS mihi fuit Horatij nostri aduentus: litteras enim tuas, librumque attulit; dixitque te ex isto amœnißimo secessu tantam voluptatem capere, vt præ ea Reges, & Regum amicos contemnas. Te sapientem existimo, qui ex his vrbanis, molestisque negotijs ad iucundissima ruris otia te contulisti. Quod ego quoque libenter facerem, nisi eisdem negotijs eo magis implicarer, quo me magis ex ijs studeo explicare. Sed spero fore, vt aliquando solutus, ac liber, tibi vt arcto amore, ita domestica consuetudine coniunctus vna tecum suauiter viuam. Quod autem ad librum attinet, tametsi non facile adducor, vt de aliorum scriptis iudicium faciam: quia tamen id te vehementer cupere video, quid de illo sentiam, vt soleo, liberè dicam. Dicendi genus secutus es graue, & elegans, & quod cum rebus ipsis valde consentiat; idque varijs facetijs condiuisti, vt animus serijs legendis rebus defessus iocosis recreetur, & conquiescat. Ordinem præterea tenuisti planè admirabilem; quem quidem ego tanti facio, vt sine eo quem nobis in scribendo finem proponimus, nunquam nos consecuturos existimem. Hæc omnia magnopere mihi probantur: argumentum nullo modo. Itaque, si tanta te scribendi cupiditas tenet, vt nullo modo quiescere possis, aliam materiam, vt arripias, vbi vim ingenij tui ostendas, te magnopere hortor. Cur potius ea non colligis, quæ in Ciuitate nostra laudabilia sunt, quæque certè, ni fallor,

lor. potißima causa fuerunt cur eam Deus ab imminentibus periculis sæpißimè liberauerit? liberè loquar pro vetere nostra necessitudine: huiusce libri argumento animi maleuolentiæ veneno suffusi non leue signum dedisti. Quam quidem maleuolentiam quamuis charitatis specie celare studeas: animum tamen ipsum eam prodentem celare non potes. Iam vero quis non etiam illud reprehendat, quod, cum multas claras, egregiasque virtutes libro tuo inserueris, eorum, quorum illæ sunt, nomina subticere non dubitasti, spatiumque inane reliquisti? Satius erat te vtrumque tollere, ne vlla vel nominis, vel laudationis vestigia apparerent. Quæ ad hunc librum pertinere intelligo, liberè, vt promiseram, omnia dixi. Quod si paulo fortasse, quam velles, breuior fui, occupationes, quibus distineor, me facile excusant. Venio nunc ad extremam epistolæ tuæ partem, quæ mihi doloris tantum attulit, quantum animus vix capere potest. Scribis enim te Patria cedere, & parentes, atque amicos relinquere decreuisse. Ergo ita ferreus eris, vt ab ijs te rebus disiungas, quibuscum natura ipsa te tam valde coniunxit? vbi humanitas, vbi sanguinis communio? an iusta profectionis causa ea tibi esse videtur, quam in tuis litteris mihi attulisti? illi enim, quos mihi narras, tantum abest, vt impedimento sint, quominus inter tuos promeritum locum obtineas; vt eos non pluris facere debeas, quam si nusquam nati essent. Neque, si alia loca petieris, tibi hac in re benigniore fortuna vti contigerit; cum maxima huiusmodi hominum multitudo vbique reperiatur. Quamobrem huius profectionis consilium depone; & eos timere desine, qui, dum alijs nocere student, illis potius prodesse, & sibi obesse solent. Multa sunt, quæ

te non

te non modo in Ciuitate retinere, ſed etiam conſolari magnopere debent: quorum illa non in poſtremis, quod nobiliſſima familia natus ſis; quòd doctiſſimorum virorum amicitia floreas; & æternis famæ monumentis nomen tuum ita inſerueris, vt ex ijs nullo vnquam tempore auulſum iri videatur. Non enim tam mala, quæ patimur, quam bona, quæ ſumus adepti, nobis conſideranda ſunt. Quin altera alteris temperantes ita malorum acerbitatem, iucunditatemque bonorum mitigare debemus, vt in aduerſis animo erecto, in proſperis vero moderato eſſe poßimus. Quanquam nulla res eſſe debet, quæ nos magis conſoletur, ac recreet, quam ſpes illa fore, vt omnibus omnia terminet mors. quæ idcirco maximè nobis expetenda eſt, eaque præclaris ante factis illuſtranda, vt, ſi in hac peregrinatione ab hominibus vexati inter ærumnas viximus; in illa Cœleſti Patria à Deo Optimo Max. ampliſsimis præmijs decorati, æterna perfruamur felicitate. Vale.

ADMODVM ILLVSTRI, ET REVERENDISSIMO DOMINO, D. IO. MARIAE BRASICHELLENSI SACRI PALATII MAGISTRO, NVNC EPISCOPO POLINIANENSI DIGNISSIMO.

Romam.

SVMMA *Dei potentia cum in alijs rebus, tum in Eccleſia ſua gubernanda maximè elucet. Nam quamuis*

uis illa multis, velut nauis, tempestatibus iactetur: tamen, ipso Deo Duce, nullum periculum pertimescit. qui nunc illi Rectorem dedit Paulum V. Pont Max. cuius prudentia fore confidimus, vt non modo, quæ ab alijs rectè excogitata sunt, diligenter seruentur; sed noua etiam multa ad publicam tranquillitatem pertinentia inueniantur. In ijs vero, quæ iam optimè constituta sunt, illud quod ad libros retinendos, vel reijciendos spectat, tanti ponderis, & momenti esse existimo, vt eo magna ex parte Fides Catholica mihi stare videatur. Itaque cum Marci Antonij Flaminij scripta ita mihi placeant, vt citius mors vitæ meæ, quam ego mihi ea legendi, atque admirandi finem facturus sim; diligenter exquirere volui, vtrum illius in Psalmos paraphrases Ecclesia probet; vt ex illo perenni fonte voluptatem nulla re conturbatam, sed puriorem in dies, sincerioremque hauriam. Admodum R P. F. Ioannes Baptista Penna, qui sibi commissas Catholicæ Fidei habenas tanta prudentia moderatur, vt nescias, seuerior ne, an humanior sit, omnes Flaminij Paraphrases ex ijs esse, quæ legere prohibemur, affirmauit. Cui quidem Patri pietate, & doctrina præstanti, in his rebus, quæ ad Fidem nostram pertinent, fidem non habere nefas esse ducerem. Sed cum ex pijs, doctisque Viris alios esse videam, qui omnes Flaminij paraphrases libere legant, alios vero, qui eas solum interdictas existiment, quas soluta perscripsit oratione: hinc mihi scrupulus iniectus est maior, quem mihi ex animo euelli magnopere cupio. Qua quidem in re tu me iuuare facile poteris, cum in ea maximè cura verseris, ne liber vllus, qui prauam doctrinam contineat, imprimatur. Hinc perfecta illa sacrarum litterarum, Philosa-

losophiæque cognitio, qua maximè excellis, perfectum finem consequitur; cum ea in vnius Dei gloriam, hominumque vtilitatem redundet. In quibus omnes, qui de Catholica Religione optimè sentiunt, ac bene de ea mereri cupiunt, plurimum se tibi debere, fateantur necesse est; cum operam tuam ipsi Deo gratam, hominibus vero salutarem esse perspiciant. Ego vero, qui ex eo numero me esse profiteor, magno me beneficio affectum putabo; si, quod ad Flaminij scripta attinet, omni me molestia liberaueris. Nec enim nos sibi quisquam magis deuinxerit, quam si nobis aliqua de re dubitantibus veritatem patefecerit: nec in rebus ad nostram salutem pertinentibus nimis diligentes nos quisquam esse dixerit. Et hoc saltem nomine spero fore, vt hoc meum scribendi consilium in optimam partem accipias; mihique ignoscas, si à te beneficium ante petierim, quàm vllum præcesserit meritum. Pro quo beneficio operam dabo, vt parem tibi referam gratiam; sin minus id consequar, vt illud saltem, quoad viuam, memoria tuear. Vale Genua. Quinto Idus Sept. CIↃ.IↃ.CV.

ADMOD. ILLVSTRI, ET REVERENDISS. D.D. Marco Riuarolæ. I. V. D.

MAGNA *vis amoris, quem peperit virtus. id ego maximè expertus sum ex eo tempore, quo multa in te ipso esse cognoui, quæ te amabilem omnibus redderent ijs enim ad te amandum, atque colendum ita impulsus sum; meæque in te voluntatis declarandæ tanto desiderio sum incensus; vt id facere tandiu cum distulerim; nunc me ad illud exequendum multo magis, quàm antea inflammari*

mari ſentiam. Itaque cum antea ſatis, ſuperq́ue habuiſſem, ſi huius meæ in te voluntatis aliquam tibi tantummodo ſignificationem dediſſem; nunc eo minimè contentus eam ceteris omnibus notam eſſe, mirum, quantum cupio. nimirum illos animi affectus libenter ſequimur, quos in nobis natura ingenerauit: in quibus maximè inſunt varietates, cum alios ad alia ipſa natura finxerit proniores. ac illa mihi cum propenſionem quandam dederit ad homines colendos, atque obſeruandos, qui aliqua virtute præditi ſunt; quo me ipſa propenſio ducit, eo tam libenter ſequor, vt eam mihi, quoad vixero, numquam ereptum iri confidam. cum igitur talis meus erga illos animus ſit, atque ſenſus; qualis erga te eſſe debet, qui omnium virtutum ornamentis abundas? eximia vitæ probitas, ſingularis doctrina cum pari humanitate coniuncta, ſumma pietas, ac religio, & cetera omnia, quæ in homine ſacris initiato maximè requiruntur; illa ſunt, quibus omnium voluntates mirum in modum tibi concilias. ijs accedit illa vultus, orisq́ue dignitas, quæ amabili quadam grauitate inſignita certiſſimus nobilitatis index eſt. Sed eam lubens omitto, cum his corporis bonis inſiſtendum non ſit, & animi bona vndique ſe offerant, quæ ad maiora vltra nos vocant. etſi non ignoro pulcherrimo corporis domicilio pulcherrimam animam contineri; & pretioſam aliquam gemmam nouo auri ſplendore fulgentem gratiori aſpectu ad ſe ipſam contemplandam homines allicere. vt mirum non ſit, ſi apud quoſdam Indiæ populos in ſummi Regis electione pulchritudo corporis, atque proceritas tantummodo valuerit. ex ijs, quæ dixi, facile conijcere poſſumus, à quibus parentibus natus, & educatus fueris; ab illis ſcilicet, qui bus vnum hoc ſtudium

fuit ita te instituere, vt aliquando inter æquales doctrina, & pietate floreres; Familiæ vero, ac Patriæ decori esses, & ornamento. quippe qui probè norant educationem tanti esse, vt qualis illa fuerit, talem totam vitam futuram; & ingenuos adolescentes excellenti ingenio præditos, si benè educati, institutique fuerint, optimos fieri animaduerterent. itaque maxima quæque à te exspectabant; nec eorum expectationem fefellit euentus. nam crescente ætate, crescebat & virtus; & à sequentibus priora vincebantur. Cum autem ad maturiorem ætatem peruenisses, & fieri non posse perspiceres, vt quis Deum ex animo diligat, nisi hoc seculum odio habeat; huic tu libenter renunciasti, Sacrisque addictus te illi totum deuouisti. ac tibi primum, deinde alijs prodesse cupiens eam vitæ rationem ingressus es, qua vtrique simul rei satis te melius facturum existimasti. in quo te summis laudibus efferendum censuerim: quemadmodum militem strenuum illum non duxerim, qui dum alij prœliantur, ipse prælio omnino se subtrahat: nec peritum nauis rectorem illum, qui, dum alij in altum prouecti tempestatibus iactantur, ipse saluti suæ tantummodo prospiciens in portu se contineat. verùm cum sine litterarum præsidio, quod animo statueras, perfici nō posse arbitrarere, in celeberrimis Italiæ Gymnasijs ita optimis artibus, & studijs operam dedisti, vt singularem Vtriusque Iuris cognitionem adeptus meritis insignibus decoratus sis. cum autem illa, quæ iam didiceras, & faciebas, tempus esse tibi videretur, vt alijs imitanda proponeres, & non tàm exemplo, quàm oratione nobis consuleres; ad concionandi munus alacriter accessisti. in quo ita te gerebas, vt conciones tuas non inanis hominum fama, sed peccatorum pœnitentia, & emenda-

tio consequeretur. id verum esse fidem faciunt ij, qui te sæpe concionantem attentis animis audierunt. mihi quidem hac in re desiderium vt explerem, nunquam contigit: illi tamen aliqua ex parte satisfeci, cum te sæpe in Cathedrali Ecclesia, magna Cleri parte adstante, de illa Theologiæ parte, quæ ad mores pertinet, differentem audiuerim. cuius quidem Ecclesiæ Canonicus iam factus eras, & in illud Collegium cooptatus tanquam præclarum aliquod lumen ceteris omnibus prælucebas. Hic honoris gradus optabilis est. sed cum in eo campus eßet exercendæ charitatis angustior, quàm voluisses; Deus Optimus Max. qui pijs desiderijs fauet, alium animo, virtutiq; tuæ latiorem, vberioremque obtulit. Itaque D. Mariæ Gratiarum Ecclesiæ præpositus es, vt qui vitam, moresque tuos virtutis regula semper direxeris, aliorum quoq; vitam, & mores moderandos susciperes. hac tibi cura imposita alacriter suscepta, primum Ecclesiam ipsam ita instaurandam, exornandamque curasti, vt illius nunc alia forma, aliaque facies sit; & lætetur quodammodo, atque exultet, quod varijs picturis præfulgeat; quod verè domus Dei aliquando esse cœperit. in eam deinde curam vehementer incumbis, vt omnia ritè prouisa, comparataq; sint, quibus Dei cultus, & honor maximè augetur. hinc summa religione, ac pietate tum Sacra peragi, et Diuina Officia celebrari, tum Confessiones audiri, & Sacramenta administrari videmus. & in ijs exequendis cum ceteros Christi fideles, tum commissum tibi Gregem præcipuè spectas. cuius saluti procurandæ cum postremo te totum tradideris, nullum laborem recusas, vt eum à luporum incursibus, & rapinis defendas; & saluum, atque incolumem ad cœlestia pascua perducas. quin etiam, si acci-

deret, vt opus esset, pro eo vel ipsam vitam libenter profunderes. Sicque Optimi Pastoris munus, atque officium perfectè cum expleas alij exemplo excitantur, teq́ue quouis honore dignissimum iudicant. quod si fortasse ex ouibus tuis pestilentem peccati luem aliqua contraxerit; tanta humanitate ad eam sanandam, atque demulcendam accurris, vt illa se tibi libenter committat, & ad integram sanitatem facile reuocetur. nihil profecto quidquam est, quod hominem homini melius commendet, quàm clementia, atq́ue humanitas. non igitur mirum, si hanc ipsam D. Mariæ Gratiarum ædem homines frequentant, cum & loci celebritas, & propinquitas maris eos inuitet; cum tua singularis humanitas, & suauitas morum vehementer alliciat; & hoc ipsum Gratiarum nomen magnam eis spem afferat fore, vt, quòd optant, assequantur: cum hic præterea orationes suas, & preces eo libentius fundant, quo plura videant; quibus ad omnem sanctitatem maximè excitentur. in hac enim Ecclesia per quadraginta dies, qui à partu Virginis vsque ad eiusdem Purificationem numerantur, Iesu Christi Saluatoris nostri Natalis piè, sanctèq́ue colitur. Hic Diui Blasij, & Sanctorum Nazarij, & Celsi solemni ritu dies Festi celebrantur. hic pia Cæcorum Societas Sacellum sibi statuit, in quo Diuinum Numen adoret, precibusq́ue propitiet. Sed hic alia multa fiunt, quæ cum oculis omnium pateant, mea, aut cuiusquam commemoratione non indigent. Ego certè nemini concedo, qui hanc Sacram Aedem frequentius adeat, maioremq́ue ex ea fructum percipiat. quin etiam in ipsa angulum mihi dari exopto, in quo post multos labores, atque ærumnas, hoc miserum iaceat corpus. nam præter meam in Deiparam

Virginem

Virginem maximè propensam voluntatem, tua singularis erga me beneuolentia me facile attrahit; cuius mihi præclaras dedisti significationes, cum meo sæpè rogatu in honorem huius Beatissimæ Virginis, Deo Opt. Max. Sacrificium obtuleris; vt vel ex eo facile cognosci potuerit, hoc tibi natura insitum esse, alios vt adiuues quòd cum facias, non inani te gloria effers, aut humanas laudes, & præmia curas; cum alterum planè respuat vitæ integritas, alterum charitas christiana: cum denique tam exiguos fines haud tibi constituas, vltra quos progredi possis; sed eum finem propositum habeas, ad quem quisquis peruenerit, tanquam in itineris termino acquiescit. Deum scilicet solum spectas, solum intueris; & in eo spes omnes tuas sitas, & collocatas habes: cum existimes ceteras virtutes debiles esse, atque infirmas, nisi pietate in Deum, tanquam stabili fundamento nitantur. qui quidem, cum videat te in Vinea sua tam sedulo laborantem, tibi in hac vita præsto semper aderit; in altera vero ea præmia dabit, quæ ijs promisit, qui talentum sibi creditum perire non siuerint, sed ea, quæ optima sunt, & fecerint, & docuerint. Vale. Genua, ex ædibus. Tertio Idus Decemb. CIↃ. IↃ. CV.

ADMOD. ILLVSTRI, ET REVERENDO DD. AVBERTO MIRAEO CANONICO ANTVERPIENSI.

Antuerpiam.

VETVS *hæc mea fuit opinio, vt perfectam latinè scribendi laudem vnam Italorum propriam esse existimarem.*

marem. Verùm, poſtea quam Elogia tua legi, quibus Illuſtres Belgij ſcriptores meritis laudibus celebras; hanc mutaui opinionem, & in hoc ipſo Romanæ eloquentiæ latiſſimo campo exterorum quoque hominum induſtriam feliciter excurrere animaduerti. Hunc igitur librum cum in manus identidem ſumam, illius tamen lectione vix ſatis animum explere poſſum; & quo ſæpius lego, eo magis & argumentum, & dicendi elegantia mihi probatur: quo nullum certius in ſcriptis dijudicandis teſtimonium deſidero. Ecquæ, vt vere dicam, materies ingenio tuo, facundiaque dignior; ecquæ hominibus iucundior, ac fructuoſior eſſe poteſt? ex ijs artibus, quibus ad humanitatem informamur, nos quidem hiſtoria vehementer delectat; ſed illa, quæ Elogijs comprehenditur, incredibile eſt, quanta voluptate, atque lætitia animum perfundat. quippe quæ circa nobiliorem, & præſtantiorem partem omnino verſatur; & perſpicua breuitate Clarorum Virorum immortalia facta complectitur. iam ipſa illa quantum nos retinet varietas? dum Sapientiſſimorum hominum memorabilia dicta, & facta in ipſis Elogijs tanquam in tabula picta videmus; & quæ cuiuſque actæ vitæ principia, qui progreſſus, qui exitus denique fuerint, cognoſcimus? nam, & ſi doctiſſimis Belgis tuis idem ſcopus propoſitus fuerit, eademque meta, virtus ſcilicet, atque pietas: diuerſis tamen itineribus ad eam peruenerunt, varijſque viuendi rationibus vſi ſunt. quas cum diligenter obſeruemus, maximam inde prudentiam haurimus, & in rebus ſequendis, fugiendiſue multo cautiores euadimus. hinc non poſſum non magnopere eorum induſtriam improbare, qui in rebus inanibus ſcribendis tempus conterunt; cum illud multo melius collocarent,

rent, si præclaras hominum actiones litteris mandarent, nobisque ad imitandum proponerent. ex quibus longè maior voluptas, atque vtilitas perciperetur. quæ quidem voluptas alia voluptate cumulatur, si eorum scriptis delectemur, quorum nobis ante oculos vita proponitur: & ea ipsa scripta nobis magis familiaria sunt, si, quòd vitæ institutum Scriptores sequuti sint, perspicuum habeamus. id verissimum esse quotidie experior. nam etsi antea Læuini Torrentij Poemata Sacra è manibus raro deponerem, & ea nunquam legerem, quin maximè admirarer, atque suspicerem: maiori nunc tamen ea legendi desiderio flagro, posteaquam pulcherrimum illud Elogium legi, quo illum præcipuè decorasti. in quibus Elogijs eo dicendi genere vsus es, quod in paucissimis nostrorum temporum Scriptoribus cognoui, purum, elegans, ac in omni parte æquabile, quodque tranquilli amnis instar placide, ac leniter fluit. multa in perfecto Scriptore requiruntur, sed hoc è multis maximum est, vt scribendi elegantia excellat. quòd si rei cuiusque gestæ narratio vtcunque scripta nos magnopere delectat, quanto magis ea delectabit, quam latini Sermonis elegantia maximè commendat? noluisti tam dulces epulas in vasis sordidis nobis apponere; nec tàm pulchram virginem inculto, horridoque ornatu incedere passus es. in ipsis etiam Elogijs admirabilis ordo, & dispositio elucet, cum suo quæque loco collocata sint, & inuicem sibi respondeant; cum nec prætermittantur necessaria, nec superuacanea enarrentur politis præterea versibus exornata apparent, vt quæ alijs in hoc genere desunt, omnia in te ipso perficiantur. te felicem, qui ijs, quæ mortua sunt, tàm præclaram vitam reddis, vt victura perpetuo sint; cum alij multa quotidie

pariant

pariant repente moritura. eo autem beneficio Patriam tuam, ac totam Prouinciam Belgicam tibi deuinxisti, quo nullum maius excogitari potest; cum eam non tàm armorum, quàm litterarum parentem, atque nutricem esse ostenderis: cùm tot charissimis filijs suis, doctrina, & sanctitate præstantibus immortalem gloriam compararueris. qui nunc cœli incolæ hoc tuum pietatis officium, vt opinor, gratissimum habent; seque in tuis scriptis reuixisse summopere lætantur. ipsa quoque Latina lingua multum se tibi debere confitetur, cum prope par laus eorum sit, & qui rem aliquam ex parua magnam fecerint, & qui eam ad interitum inclinatam in pristinum gradum restituerint. Omnes denique litterati homines præcipuam ex tuis Elogijs vtilitatem percipient; cum si quid tale vnquam aggrediantur, ita in illis, quod admirentur, & imitentur habeant, vt nihil melius in eo genere optare possint. ego equidem, etsi prorsus, qui inter illos adnumerer, indignus sum; cum tamen ad hoc scriptionis genus maximè propensus sim, ad illud tentandum si me voluntas vnquam adduxerit, non alium certè, quàm te ipsum imitaturus sum. & quoniam hæc ipsa Elogia mihi vehementer sitim incenderunt cetera tua scripta legendi, vt ijs ad me mittendis eam sedare velis, te etiam, atque etiam rogo. nam, cum omnibus eloquentiæ copijs abundes, & in scribendo felix, & elegans sis, existimandum non est purissimos te ingenij tui fontes clausos esse velle. sed potius omnibus apertos; vt non tantum ingenia Belgica irrigent, sed in Italicos etiam animos redundent. Cum verò & natura, & voluntate in eam partem maximè inclinem, vt quod cuique debeo, re ipsa potius, quàm verbis soluere cupiam; si huius meæ voluntatis, propen-

sionisque

ſionisque declarandæ mihi facultatem dederis, gratiſſimum feceris. nam quamuis liber, liberæque ciuitatis ſim; litteratis tamen hominibus, tuique ſimilibus operam nauare, in eorumque poteſtate eſſe volo; & hoc ipſis veluti tributum libenter pendere humanitatis, atque officij. Vale. Genua. xiij. Kal. Aprilis. CIↃ. IↃ. CVI.

AVBERTVS MIRAEVS. IO. NICOLAO Saulio Carregæ. S. P. D.

LITTERAS *tuas ſanè elegantes, quamquam in noſtras laudes nimiũ effuſas legi non inuitus. equidẽ humanitati id tuæ tribuo. Amplector tamẽ adfectũ, & gaudeo nobili, ac litterato viro iuueniles etiã conatus noſtros placuiſſe. Quòd ad cetera noſtra ſcripta attinet, in ijs perficiendis, poliendiſque toti ſumus. ſub prælo nunc habemus Origines Monaſteriorum Galliæ noſtræ Belgicæ. Edidimus iampridem & Illuſtrium* Belgij *Scriptorum Imagines in æs inciſas. Si nondum vidiſti, curabo vt videas. meditamur & Hiſtoriam rerum Belgicarum, à Chriſto nato ad noſtrum vſque ſeculum. Deus modò adſpiret, & amici faueant. De Liguribus veſtris noſtra memoria benè meritus eſt Vbertus Folieta ciuis veſter, cuius ſcripta hiſtorica vtinam videre nobis liceat aliquando. Vir fuit omnino egregius, cuius ego diem obitus ſcire aueo, vt ſuo loco memoretur. Miror autem ab illo tàm paucos Ligures doctrina illuſtres celebratos. Quam partem, Si Tu, Vir Nobiliſſime, expleas, de patria inprimis, atque Italia vniuerſa mereberis quàm optimè. Quæ de. I. Lipsij. V. cl. obitu reipub. litterariæ luctuoſo, in gratiam amicorum, ſi non aduerſariorum potiùs*

(qui in ſuas eum partes vel obtorto collo trahere conantur) nuper ſcripſi, hic vides. Iudica, & litterarium hoc iter ſæpius terere. Vale Antuerpiæ. VII. Idus Aprileis. CIↃ. IↃ. CVI.

I. LIPSII. V. Cl. MORS.

D*E extremo I. Lipsij. V. Cl. vitæ actu, atque exceſſu, in quo ſunt omnia, commemorare hæc libuit.*

C*VM in febrim an.* CIↃ. IↃ. CVI. *circa Idus Martias incidiſſet, fatalem lectulum conſcenſurus, vultu alacri cycneam hanc vocem, Ad lectum, & letum, inſtantem mortem animo præſagiens, emiſit. Morbo ingraueſcente, R. P. Leonardum Leſſium Soc. Ieſu Theologum eximium, cuius eruditi De Iure, & Iuſtitia exſtant commentarij, ſibi perfamiliarem aduocauit, atque in procurandis ritu Chriſtiano ſacris, & animo expiando, eluendoq; totus fuit. Ceterarum itaq; rerum omnium curis abiectis, Sacroſanctum Chriſti corpus. xiij. Kal. Aprileis, qui dies in Dominicam Palmarum tum incidit, piè ſuſcepit, & Sacro Oleo, more Chriſtiano, die ſequenti, inunctus eſt. Porrò ad extremum vſque ſpiritum firma, atque integra mente conſtitit; tanta animi conſtantia, ac tranquillitate, vt nihil vxoris, aut amicorum vndique adfluentium lacrymis, ac ſuſpirijs commoueretur. Itaque nec vllam querimoniæ vocem, nec vllum repugnantis, aut trepidantis animi ſignum edidit. vtque in vita, ſic & in obeunda morte conſtantiſſimus exſtitit. Et certè non ſcriptis modo; ſed & factis Philoſophum ſe, eumque Chriſtianum, mirificè comprobauit. Silere hoc loco nec poſſum, nec debeo, ex quo ſincerum, atque eximium*

mium illius in Diuam Virginem adfectum, cultumque licet agnoscere. Cum in agone, morti iam proximus, versaretur, vxori mandauit, vt reddito iam spiritu, togam optimam, pellibus suffultam, B. Virg. ad eius aram, Louanij in Basilica B. Petri Apostoli principis, cultu, miraculisque celebrem, offerret, ac poneret. Quam & ipsi oblatam spectauimus.

SVMMA *itaque cum testificatione pietatis, Christi Crucifixi imaginem frequenter amplectens, & nunc IESV, mox Mariæ nomen ingeminans x. Kal. Aprileis. siue xxiij. Martij. An. 1606. paullò post noctis medium, anno ætatis nono, & quinquagesimo, placidè ac leniter expirauit. Morienti, præter domesticos, adfuere tres è Soc. Iesu Patres, & vnus è Sodalibus instituti B. Francisci; itemque V. R. & Cl. Nicolaus Oudartus, Canonicus, & Officialis Machliniensis, & V. N. Ioannes Bap. Perezius Baronius, eius olim auditor, ac contubernalis. Mediocri pompa, vt, qua erat modestia, iusserat, elatus est pridie Paschatis, viij. Kal. Aprileis, hora post meridiem quarta, humeris vniuersæ, vt sic dicam, Academiæ; certantibus nimirum inter se studiosis, vt extremum istud præceptori meritissimo pietatis officium impenderent; memores illius, vt arbitror, Vocis Q. Cœcilij Metelli, cognomento Macedonici. Val. Max lib. 4. cap. 1. 3. Non fore, vt in posterum id officium ab ipsis Viro maiori præstari posset. Præter Academicos, ac Ciues, & exteri non pauci funus deduxere; in his V. R. Aubertus Miræus, Canonicus Antuerpiensis. V. N. Io. Bapt. Baronius, & Ioannes Vuouerius vir ornatissimus, eius olim Louanij auditores, qui officij gratia Antuerpia aduolarant. Conditus iacet, vt testamento mandarat,*

in Aede Sacra Franciscanorum Sodalium, ante Virginis Deiparæ aram, ad quam preces fundere quotidie solitus erat. Voluit nimirum & à funere sui in Virginem cultus sempiternum apud posteros extare monumentum. Inscriptionem verè Philosophicam tumulo appendendam paucis ipse versibus est complexus. Iusta illi persoluta sunt. iij. Kal. Aprileis pompam funebrem præter incolas Louanienses, ad S. Petri Basilicam, quæ vrbis primaria est, deducentibus. R. & Cl. V. Petro Pantino, Decano Bruxellensi, R. V. Nicolao Oudarto, Cl. V. Ioanne Vuouerio, vtroque testamenti curatore, alijsque exteris. Defunctum pro funere laudauit. V. Cl. Gerardus Corselius I. V. Doctor, eleganti, ac diserta oratione. Bibliothecam, & scripta sua, atque ingenij monumenta, Sororis nepoti, annos fere. xiij. nato, legauit, & apud Vuouerium, dum adolescat heres, deponi iussit. Græcos ac M. SS. Codices Louaniensi Soc. Iesu. Collegio adtribuit. Cauit autem testamenti tabulis scriptorum suorum quidquam imperfectum à morte euulgari. Flores, atque arbusculas suas, quibus mirificè solebat adfici. R. P. Thomæ Vuiringo Soc. Iesu Sacerdoti, & Thomæ Blyleuio, Vigilum vrbis Louaniensis Præfecto, amico, ac vicino suo, istarum rerum curiosis, dedit; numismata verò. R. V. Dionysio Villerio, Canonico Tornacensi, & Vuouerio, antiquitatis in paucis amantibus, & peritis reliquit. Hæc de obitu breuiter. De vita scriptisque suis ipse Centuria VIII. Epistola lxxxvij. ad Io. Vuouerium copiosè disseruit.

A. M.

IACO-

IACOBO, ET IOANNI FRANCISCO TISCONIA.

Bononiam.

De ſtudijs veſtris lætiora in dies nunciantur; & quæ de vobis opinio eſt, re ipſa egregie comprobatur. gratulor igitur vobis, parenti veſtro, & Patriæ, quibus ex virtute veſtra plurimum & vtilitatis, & gloriæ aliquando accedet. hæc ipſa ſtudia cauſam fuiſſe arbitror tàm diuturni ſilentij noſtri, cum vos eorum capti dulcedine ab illis animum non facile abducatis: ego vero non is ſim, qui ad me omnia ita referam, vt ob eam voluptatem, quàm ex litteris veſtris perciperem, vos ea voluptate priuari velim, quàm ex ipſis ſtudijs percipere ſoletis. ac nunc etiam ſilentio vſus eſſem, niſi nonnulla occurriſſent, quæ cum magnopere intelligere cupiam, voſque in ipſis mihi adiutores eſſe poſſitis; contineri diutius non potui, quin ad vos ſcripſerim. ea vero eiuſmodi non ſunt, vt ad ipſa mihi inueſtiganda, iudicandaque à ſtudijs veſtris temporis multum vobis conferendum ſit. paucis enim horis partim, partim verò paucis verbis perficere poteritis. Illud in primis ſcire velim, an volumen Epiſtolarum editum ſit Romuli Amaſæi doctiſſimi, & eloquentiſſimi Viri, quod Iulius Signius in manibus habebat. illius enim editioni nihil aliud deerat, niſi aliquis, qui tantum impenſæ facere vellet, vt ederetur. quod ſi nondum ab aliquo impetrari potuit, noſtrorum temporum auaritia notanda eſt, cum homini de hominibus optime merito, quique dum vixit, ad conferendas in alios ingenij ſui opes facilis, propenſuſque fuerit, tam male gra-

tia

tia referatur. Camillus Palæottus vir doctrina, & pietate insignis complura scripta reliquit propter argumentum, & Latinæ linguæ elegantiam omnibus grata, atque accepta magnopere futura: quæ in potestate nunc habet Galeatius tali patre dignissimus filius. qui cum paternæ gloriæ cumulandæ cupidus sit, vt veterem illam Gentis suæ, & quasi hæreditariam de hominibus benemerendi consuetudinem seruet, ea, vt opinor, in lucem editurus est. nam vt antiqua omittam, recens habet exemplum Gabrielis Palæotti Cardinalis amplissimi Patrui sui, qui gloriæ suæ, & communi vtilitati egregie consulens præclara ingenij monumenta euulgauit. hæc ipsius Camilli scripta legendi tam incredibili desiderio ardeo, vt, cum illi vestra in primis opera adiutum satisfacturum me aliquando confidam, vos magnopere rogem, quo in statu illa sint, quidque de ijs sperare possim, ad me perscribere ne grauemini. Ex recentibus Poetis latinis Franciscus Maria Molsa ita mihi placet, vt ad antiquos illos Vates, eum tanto proprius accessisse existimem, quanto magis ab illis ceteros procul abesse animaduertimus. hoc vnum maxime doleo, quod ex illius scriptis multo pauciora exstant, quam velim, quamque vt ex ijs sitim meam explere possim. Itaque cum intellexissem nonnullos ipsius Gentiles Ciuitatem istam, tanquam patriam sedem sibi elegisse, inter quos eminebat Tarquinia illa Molsa, quæ Maiorum suorum vestigijs insistens tantos in litteris processus fecit, vt ad summum Poesis fastigium peruenerit, laureaque corona tempora exornauerit; ad amicum scripsi, vt illos conueniret, ac diligenter sciscitaretur, num præter illa, quæ iam publicata sunt, alia scripta in manibus haberent. qui responderunt plura epi-

gramma-

grammata apud ſe eſſe, multasque Elegias; omnia ſe intra biennium diuulgaturos. id an perſecerint, an longius producturi ſint, cum tempus iam illud abierit, velim diligenter inueſtigetis, meque tota de re certiorem faciatis. Sed nondum moleſtijs finem impono, vt verear, ne vos hanc epiſtolam conſcindentes ipſas moleſtias ſilentio vlciſcamini. Superioribus diebus multi ad me libri Florentia miſſi ſunt. in quibus erat volumen tertium Epiſtolarum Paulli Sacrati Viri de litteris optime meriti iſtic impreſſum. vltra quod neſcio, an alia volumina conſcripſerit. cum igitur primum volumen iampridem habeam, velim, vt diligenter ſecundum inquiratis, inuentumque ad me quamprimum perferendum alicui detis cum ceteris ſimul libris, quorum ſupra mentionem feci; ſi modo iam abſoluti, perfectique ſunt. quidquid enim a vobis expenſum erit, non patiar, vt in muneris loco ponatis; ſed ſine vlla cunctatione, cui volueritis, fideliter numerabo. quibus quidem libris ſi capſulam vnam addideritis earum plenam pilarum, quas iſtic varijs ſuccis, atque odoribus permiſtas artifices egregie conficiunt, quibus faciem, manuſque lauamus; ad veſtra in me officia, atque merita. quæ prædicare nunquam deſinam, aliquid accedet; nihil vero ad amorem meum erga vos, cum fraterno ſe iam æquauerit, & ad ſummum perfectionis gradum peruenerit. Valete. Genua. XIII. Kal. Maij. CIↃ.IↃ.CVI.

SCIPIONI EX CONDOMINIS CELLAE.

QVOD *ad amicos ſcribam, quos conuenire, & alloqui poſſem; & ad homines laudandos, qui doctrina excellunt, propenſior ſim; vereor, ne illi mihi vitio vertant, qui*

aliena

aliena magis, quam propria curant. nam ſcribendi rationem ad hunc vſum inuentam eſſe dicent, vt abſentes de rebus publicis, vel priuatis certiores faciamus: ad eos autem, qui in eadem Ciuitate, atque in eadem pæne vicinia ſunt, quid litteris opus eſt? an non cum ijs, quoties volumus, quacunque de re coram commodius agere poſſumus? ipſas enim litteras præter proprium munus, officiumque vſurpari minime conuenit. in eo autem argumento ſemper verſari, quo aliorum laudes contineantur, hominis imprudentis eſt: ipſas vero laudes in maius extollere, quod interdum me feciſſe arguent, adulantis. his reprehenſionibus, etſi doctiſſimorum virorum exempla opponere poſſem, tamen ne earum auctores quaſi ſignum victoriȩ canant, ita occurram. Epiſtola non tam abſentibus, vt rerum nuncia mittitur, quam præſentibus vt munus gratiſſimum datur. datur etiam, vt inuiolati amoris pignus, aut reconciliatæ gratiæ teſtis. nec in his rebus tantum ponderis habet oratio, quantum epiſtola: ſi quidem illa negligentius prolata cito auolat; hæc vero diligentius ſcripta perpetuo, aut diu certe manet. quod autem ad laudandi argumentum attinet, me ſponte ad illud inclinatum eſſe fateor: ſed mihi dici velim, an aliud vtilius, atque fructuoſius reperiri poſſit. plures vel primæ notæ ſcriptorum epiſtolæ leguntur ita leui argumento, vt eas vix ſemel quiſquam attingere poſſit ſine ſtomacho. nihil habent præter verba, ac vtinam ea ipſa luculentiora eſſent. Clarorum Virorum laudes ſunt quaſi quædam gloriæ faces, quæ ad eos imitandos animum vehementer inflammant. quod ſi ipſas laudes aliquando verbis exaggeramus, id huiuſmodi peccatum non eſt, vt non cuidam amoris abundantiæ debeat condonari. Sed ſi talium repre-

henſionum

hensionem securus vnquam fui, nunc, cum ad te scribam, Scipio, maxime sum. nam & occupationes vtriusque nostrum colloquendi facultatem nobis eripiunt; & cum tua me virtus ita ceperit, vt, nisi meam erga te obseruantiam tibi, atque adeo cunctis declarassem, nunquam quiescere potuissem; id vt efficerem, nihil in præsentia magis idoneum, quam epistolam inuenire potui. nec vereor, ne me tibi assentari, aut aliquid auribus tuis dedisse videar, cum ab eo vitio, & ego valde remotus sim; & tu tantis rerum excellentium dotibus instructus; vt mihi potius metuendum sit, ne ingenij culpa eas imminuam, quam cogitandum, quomodo eas augeam, atque amplificem. Summo enim loco si te natum esse dixero; si in litterarum studijs ita versari, vt poetica facultate, & Iurisprudentia excellas; si hæc omnia amabiliora in te esse cum mira sermonis, morumque suauitate coniuncta; quis vera me dixisse non fateatur? hæc enim illustriora sunt, quam vt ijs tenebras offundere, aut insuper lucem addere quisquam possit. Magna inter homines nobilitatis vis, magnaque in ea felicitatis pars constituta videtur. hinc virtuti nouum decus accedit; hinc ipsa fit virtus acrior, & admirabilior. itaque gloriari maxime potes, quod claro genere ortus sis, sed multo magis, quod generis claritatem virtute superaueris. noti sunt Maiores tui; tu vero notior es. nec id eorum gloriam minuit, sed potius auget; quemadmodum geminæ faces sibi inuicem vires acquirunt. in ea autem re excellere, quæ maximi sudoris, maximæque gloriæ sit, excellentis, ac planè diuini ingenij est. id verum esse res ipsa fateri cogit, & bonarum Poetarum paucitas maxime comprobat. omnibus quidem patet Poeticæ laudis, & gloriæ campus:

D *sed*

sed multi in eo vires inani cursu exercent suas. tu vero an ipsam metam contigeris, tua scripta testantur. quæ cum legimus, admiramur in verbis puritatem, grauitatem in sententiis, in mouendis affectibus artificium, iudicium in seruando vniuscuiusque decoro. quodque magis egregium est, in iis præstantiores quosdam Spiritus animaduertimus, quam quos humana natura afferre soleat, aut in aliorum scriptis hac tempestate cernamus. Verum laudatione mea quid opus est? an non satis Poemata tua laudata sunt, cum præter communem omnium consensum Torquatus Tassius, qualis, & quantus Vir? ea probauerit, plurimique fecerit? nam ea ipsa legens quæ verba protulerit, quoque diuinæ vocis suæ testimonio te ornauerit, per omnium, credo, ora iam vulgatum est. cuius iudicium, atque auctoritas apud te non minoris ponderis esse debet, quam apud Antimachum Poetam Platonis iudicium, atque auctoritas fuerit. Cum Poesi Iurisprudentiam coniuxisti, sed cum Iurisprudentia quæstus studium haud coniungere voluisti. in hac enim scientia tantummodo versaris, vt reconditum aliquid habeas, quod ad res maioris momenti depromas. quod aliquando egregie te præstitisse, & Iurisperitissimum tum voce, tum scripto te ostendisse perspeximus. quæ quidem scientia ceteris omnibus, mirum, quantum præstat. homines in officio continet; quid in vita sit optimum, edocet: iisque ducem se præbet, vt, vnde ipsa delapsa est, in cœlum perueniant. hæc bona, quæ dixi, ad animos conciliandos optima instrumenta sunt; sed ea suauissimis moribus condita ad ipsos alliciendos maiorem vim habent. hinc euenit, vt omnibus acceptior, & carior sis; nullusque fere reperiatur qui te semel viderit, aut loquen-

tem

tem audierit, quin amicitiam tuam magnopere expetat. non igitur mirum si ego illis ita captus sum vt ad singularem meam erga te voluntatem significandam maxime semper spectauerim; & quando nulla alia dabatur occasio hac vti epistola voluerim. erit illa igitur tanquam pignus obseruantiæ in te meæ, vel grati animi, memorisque munus. paruum quidem, fateor, & meritis tuis impar; sed voluntatem velim spectes, non muneris tenuitatem. etsi illud paruum videri non debeat, quod ab eo proficiscatur, qui tui amantissimus sit, quique nil maius cum dare possit, quidquid potest, & valet, tibi libenter polliceatur & deferat. Vale. Genua, ex ædibus. VIII. Kal. Iunij. CIƆ. IƆ. CVI.

IOANNI BAPTISTAE FORZANO.

MAGNA *latinæ linguæ laus, difficilisque cognitio est. vtrumque vel ijs temporibus cognitum, quibus ipsa lingua florebat, & à priscis illis Romanis simul cum lacte hauriebatur. nam & plurimum studij in eo ponebant, vt emendate loquerentur, & scriberent; & tanto magis ceteros quisque potentia superabat, quanto magis eloquentia anteibat. hinc ipsa lingua ad tantam dignitatem, & gloriam creuit, vt, quasi haud satis sibi existimaret simul cum Romano Imperio cuncto terrarum Orbi imperasse, ad Consulatum, quod Summum Romana Respublica Imperium habuit, aditum sibi facile aperuerit. Sed in rebus humanis quid stabile, & perpetuum datur? illæ infortunæ rota versantur, & fatali quadam vicissitudine, quæ modo ad summum peruenerant, mox eædem in imo fundo voluuntur. quam quidem conditionem latina*

lingua haud euitare potuit. illa enim dies, quæ Iulio Cæsari vitam ademit, illa ipsa & Romano Imperio, & ipsi latinæ linguæ interitum attulisse visa est. nam Rempublic. Romanam exceperunt deinceps monstra quædam hominum, atque portenta; quæ, tantum abest, vt linguarum studia, & bonas artes iuuerint, vt ea potius funditus euerterint. itaque sub eorum Imperio, ac dominatu, vt aliquod veræ, germanæque eloquentiæ vestigium diligenter requiras; nullum tamen planè reperias. quid enim agerent homines, vbi sublatis legibus, propria cuiusque cupiditas dominabatur: vbi debita virtutibus præmia vitijs persoluebantur: vbi denique cædes, & rapinæ omnibus imminebant? itaque Reip. forma prorsus mutata, magna quoque in latina lingua mutatio facta est. hinc tanta Scriptorum varietas; hinc illa aucta difficultas, quàm paullo ante dicebam; hinc laus etiam maior, si quis in illa barbarie ad antiquam illam puritatem propius accederet. Verum non hic malorum terminus fuit; sed alia ex alijs consecuta sunt. nam barbaræ nationes torrentis instar Italiam ita inundarunt, vt & ipsa latina lingua, & præclara litterarum studia naufragium fecerint. quin etiam Italia ipsa, quæ vna inter ceteras Regiones Imperio eminebat, barbaricis fluctibus obruta iacuit. è tanto naufragio, veluti tabulæ, libri, & perpauci quidem, supererant: ex quibus cum omnes latinam linguam petendam esse consentirent, non tamen omnium in ratione imitandi sensus idem erat. nam suo quisque consilio in scribendo vtebatur, & sua quisque scripta magis laudabat, quam aliorum iudicio comprobarentur. multosque per annos res ita processerat; paulloque supra Atauorum memoriam mentes hominum tanta caligo occupauerat,

cupauerat, vt ille perfectæ ſcribendi metæ propior videre-tur, qui longior ab illa ferebatur. in tantis tamen tenebris non defuere, qui clariſſimum eloquentiæ lumen extollentes ad veram latinitatem aſſequendam viam certiſſimam oſtenderint, ſimul & muniuerint. quos quidem anteſignanos complures laboris ſocij ſecuti ſunt; nonnulli etiam gloriæ æmuli illos videntur præteriſſe. hinc quinquaginta ab hinc annis factum eſt, vt præclara ingenia exſtiterint que ipſam barbariem prorſus fugauerint, & ſuum latinis litteris ſplendorem omnino reddiderint. quorum ſcripta ad tantam elegantiam perpolita ſunt, vt communi omnium conſenſu cum antiquorum ſcriptis incerta, ac dubia palma contendant. itaque latina lingua nunc maxime viget: nunc ab omnibus colitur, & ceteris linguis præfertur; cum illa doctiſſimis ſcriptis contineatur, & ab imperita plebe ſeiuncta in ore doctiſſimorum virorum verſetur. quod illi nobis concedant, neceſſe eſt, qui Ethruſcam linguam in delicijs habent; cum inter tot varias de ipſa Ethruſca lingua ſententias hoc inter illos conueniat, vt eam à libris perdiſcendam eſſe affirment. alioquin à ſe ipſis diſſentirent, & pugnantia loquerentur. Sed qui in latina lingua nunc ſe exercent, eandem rei difficultatem experiuntur: quæ tamen difficultas ea præmiorum ſpe ſubleuatur, quæ illis propoſita ſunt. nonnullos enim, qui in ea excelluerunt, ad eam dignitatem, quæ ſummæ proxima eſt, perueniſſe conſtat. auget hanc difficultatem varia, & multiplex imitandi ratio, cum alij alios ſibi imitandos proponant, alij alia dicendi genera ſectentur. hinc euenit, vt ex recentibus Scriptoribus hic nobis mirifice placeat, ille vero nullo modo probetur. hinc etiam, vt ſæpe vnus idemque ſcriptor ab alijs

in

in Cœlo positus, ad inferos vsque ab alijs deprimatur. hæc varia hominum iudicia, & eorum præsertim, qui in peiorem partem omnia rapiunt statim vt epistolæ meæ in lucem editæ sunt, haud effugere potui. nec mirum aut nouum quippiam mihi accidisse arbitror. cum proprium id illis vitium sit, vt nullos quiescere sinant, & molestiam omnibus afferant. has epistolas alij probant, easdem improbant alij. illos etsi in rebus æstimandis errore duci non arbitror, in suam tamen sententiam me nunquam adducent; eos rogo, vt hac in re fidem mihi potius memetipsum optime cognoscenti. quam ipsi sibi nimium fortasse amori tribuentibus habeant. hos vero si absque maleuolentia, & inuidia iudicant, & amo, & laudo; facileque patior, vt me sua itidem scripta iudicantem pari conditione accipiant. verum in ipsis scriptis quid in hanc partem eorum ingenia possint, facile perspicimus. tantum abest, vt in illis veræ, germanæque eloquentiæ solida, & expressa effigies sit, vt ne illius quidem vmbra, atque imago in ipsis appareat. Sed tam atra ignorantiæ nubes omnem illis prudentiæ lucem ademit, vt sibi solos per se sapere, omniumque primos omnibus in rebus se esse existiment. huiusmodi vero hominibus non modo placere non studeo, sed ne ab ijs quidem scripta mea legi volo. quòd si ea fortasse improbant, vt mihi stomachum moueant, in hac quidem re eos omni cura, atque molestia libero. equidem, vt verum ingenue fatear, latina lingua mirum in modum delector: hæc vna me tenet, hæc vna heret animo voluptas; herebitque, quandiu viuam. At quod in hoc genere tentaui, non successit; & non modo labori, atque industriæ fructus non respondit, sed etiam laborem, atque industriam incassum cecidisse video, & magnopere doleo.

quid

quid faciam? an non tentanda via est, etiam si, quo constitueris, te peruenturum non putes? an non laudanda voluntas, si minus res ipsa procedit? facio, quantum queo, quando nequeo, quantum velim. nec deterreor, quòd epistolæ meæ, quarum adolescens maiorem partem scripsi, haud mihi prorsus satisfaciant; nec item ceteris satisfacere existimem; sed potius ad scribendum excitor. idque libenter facio, vt, quando ea, quæ iam edita sunt, fieri non potest, quin edita sint, alijs paullo tolerabilioribus scriptis adiuncta ipsa quoque tolerabiliora efficiantur. ignorantiam fatenti facilior venia est. adolescentiæ vero plus æquo sibi arroganti facilior est excusatio. amanti vero litteras, & non profitenti nihil prorsus largiri seueritatis eßet, in re præsertim omnium difficillima, in qua cum Patrum memoria plures desudauerint, multorum tamen consensu, vix vnus, & alter palmam obtinuit. nostra vero ætate cum in ea multi se exerceant, meo quidem iudicio uix unus, & alter excellit. uerum in hoc genere, nimis ego fortasse delicati, & fastidiosi stomachi sum, cum ea, quę alijs melle dulciora sunt, eadem mihi felle amariora uideantur. etsi in aliorum scriptis dijudicandis, Ioannes Bæptista, nullius iudicium, quam tuum libentius sequerer, nec ullius, quam tua sententia, libentius starem. atque utinam te ipsum plus operę in legendo, quam in scribendo ponentem imitatus essem, omnes profectò contentiones, à quibus cum uoluntate, tum natura quoque abhorreo, facile uitassem. nam quamuis doctrina, atque ingenio ita excellas, ut ad scribendum si te conferres, omnibus quidem abunde satisfaceres: à scribendo tamen te contines, mauisque, ut ita dicam, inglorius uiuere, quam inuidorum, atque obtrectatorum ma-

leuolentiam ſubire. quod quidem conſilium his præſertim temporibus tutiſſimum, maximeque laudandum exiſtimo. Verumtamen illas hominum peſtes ſemper extimeſcere quæ tandem miſeria eſt? an curandum eſt hominum genus, quo nil dici peius, vel fingi iniquius poteſt? hoc tibi potius curæ eſſe debet, quomodo huius vitæ noſtræ breue ſpatium ſcribendo longius efficias. non enim tot animi, ingenijque dotes in te contulit Deus, vt eas tantum intra domeſticos parietes contineas; ſed vt potius cum alijs libenter communices. & æquum ſanè eſt, vt quarum ille rerum tam munificus largitor in te fuit, harum tu quoque alios participes facias liberaliter. te igitur pro amicitia noſtra magnopere rogo, vt, quantum valeas, tantum ſcribas; & diuturnam ſitim noſtram puriſſimis ingenij tui fontibns expleas. hoc ſi feceris, plurimum ipſi latinæ linguæ ornamenti afferes, poſteris maximam vtilitatem, tibi vero immortalem gloriam paries. Vale. Genua vij. Kal. Iulij. CIↃ. IↃ. CVI.

LVDOVICO SAVLIO. ANTONII FILIO.

Et Epistolas meas legis, & eas etiam laudas. vtrumque maius, quam aut ego promeritus ſim, aut vllo vnquam tempore optare debuerim. maximum tu quidem ſcrupulum mihi inieciſti; quem non ita facile ex animo meo quiſquam euellet. nam te non recte iudicare, qui acumine ingenij vales, vel te fingere, qui totus purus, & apertus es, mihi perſuaderi non poteſt. ea vero me agnoſcere, quæ in me tam plena manu contuliſti, mediocritas hæc, vel tenuitas potius mea non ſinit. itaque animi dubius, quid conſilij capiam, neſcio. Sed, vt laudi-

bus

bus assensum non præbeam; amorem tamen erga me tuum, ex quo, tanquam ex fonte, laudes emanarunt, pari amore rependo. Ceterum, si quis est in hac vita, his præsertim temporibus, litterarum fructus; is, mea quidem sententia, est amari, ac probari abs te, tuique simillimis. nam, & litterarum amantissimus es, & linguæ latinæ in primis cupidissimus: nec præclara illa dona delitescere pateris, quæ diuina munificentia tibi concessit. quod si quisquam est, cui magis omnia suppetant, quæ ad famam immortalem parandam adiumento sunt, eum te esse certe fateri cogimur. Parentes optimi, excellens ingenium, ætas opportuna, firma valetudo, ingentes diuitiæ, amplæ affinitates. quibus egregia animi adiuncta voluntate, quid de te sperandum non erit? qui quidem Parentes, cum te filium vnicum habeant, vnice ament, & cum virtutibus omnibus, ac pietate in Deum præcipue floreant; quid tibi sequendum, fugiendumue sit, re, & exemplo suo quotidie edocent. iam vero te ex Nobilissima Gente Saulia natum esse, quantum ad omnem laudem, & gloriam momenti affert? est enim Gens Saulia Clarorum Virorum perpetuum quoddam seminarium: est aurea illa Arbor, quæ flores, ac fructus perpetuos profert; ita vt, dum maturescunt alij, alij succrescant, & alij alijs grata vice succedant. attente contemplare Maiores tuos, quorum imagines egregie pictas in tuo Musæo ex ordine positas habere debes. vide alios bello, alios pace claros; hos purpura inclitos, illos sanctitate conspicuos. qui quamuis luce varia luceant, omnes tamen immortalitatis luce fruuntur. in hunc tantum splendorem si oculos defixeris, non dubito, quin animus tuus admirabiles radios accepturus; & ætatis tuæ quasi sur-

gentem Auroram splendidior virtutis Sol consecuturus sit. ita enim a natura institutus es, vt ad quamcunque rem animum adiungas, non verear, ne non eam egregie sustineas, eaque tibi feliciter cedat. quanta Dei Opt. Max. erga te benignitas fuit? qui tibi hanc mentem dederit, vt velles & voluntati vires adiunxerit, vt, quod velles, perficere posses? maximas te illi gratias agere, & tanti beneficij nunquam immemorem esse decet. Non idem, quod tibi, omnibus contigit. quam multi ex æqualibus tuis a recto virtutis tramite aberrantes in vitia præcipites ruunt? acerbissimi casus, qui nostris accidere temporibus, id nimio plus verum esse declarant. miseram eorum conditionem? quid est homo, si ei rationem, qua vna præstat feris, sustuleris? quam turpe est, cum omnia nobis seruiant, nos appetitus imperio premi? tu vero in ipso ætatis flore virtutis viam ingressus curre per eam celeri gradu. impressa vestigia cernis Maiorum tuorum: quo ipsi peruenerint, vides. eo tu quoque peruenies, cælesti fauore gressus tuos prosequente. quin etiam laudabili æmulatione tibi enitendum est, vt ab ipsis relicta tibi gloria ad posteros per te maioribus aucta incrementis transferatur. eia auge Patriam ornamentis, Parentes lætitia, Maiores gloria. has cogitationes suscipiat velox mens tua, & tanquam pennas, quibus ad excelsa, & sublimia euolet, sibi induat. non aliam viam tenet, cum prolem suam ad Solis radios explorat regia illa Aquila Paternæ Gentis Sauliæ, & Maternæ Auriæ Insigne; ex qua nata est Maria mater tua, singulare Muliebris virtutis exemplum. Interim ego propter humum volitans, vel potius repens, vtcumque potero, longo te sequar interuallo. quamuis onus mihi grauius impositum esse sentiam,

tiam,

tiam, quam vt vllo modo ferre queam. quanti ponderis putas mihi esse verba illa tua, cum dixeris Gentem Sauliam sibi gloriæ ducere posse, quod ego in eam adscitus sim? tanti profecto, vt, nisi Deus opem tulerit, eo me oppreßum iri dubitem. Sed si mihi pennis alas munierit, cantumque meum ipse extulerit; ita vt ex Studijs meis aliquid non prorsus huiusmodi indignum expectatione depromere possim; spero fore, vt illud aliqua ex parte sustineam, Nomenque tuum, ipsamque Gentem Sauliam vsque ad Sidera summis, meritisque laudibus extollam. Vale. Genua ex ædibus.

PAVLO MONELIAE. I. C.

ROMAM *versus Patria discedo: vt à re omnium iucundissima non libenter; vt ab ea Ciuitate, quæ paullo attentior negotijs est, non inuitus; vt à te, cuius consuetudo maximam mihi vtilitatem afferebat, inuitissimus. quo quidem nomine magnum dolorem sustineo, quem nulla re magis, quam litteris mittendis, accipiendisque minui posse arbitror. tu igitur litterarum bono vteris, & ego itidem vtar: eoque magis, quod spero fore, vt Romanum illud Cœlum eloquentiæ luminibus distinctum mihi ad scribendum adiumento sit; cum hoc nostrum nonnihil caliginosum mihi semper maximè obfuerit. hanc ob causam in præsentia elegantissimis litteris tuis nihil respondeo. Sed non minus ob illam, quod cum tu in amœnissimis I. Lipsi hortulis te sæpe oblectes, vereor, ne mea dumeta asperneris, atque abhorreas. nę tu egregius illius imitator, vel ęmulus es, cum dubium relinquas, vtrum eum imiteris, an adęques, an potius vincas. itaque illud cla-*

rißimum litterarum lumen non prorsus morte extinctum, sed in te ipso planè exortum, ac renatum videtur. Sed, vt omnia in me essent, quę in perfecto Scriptore requiruntur, qui breui epistolę ambitu tot egregias tuas uirtutes amplecti poßem? non mearum uirium onus esset eum laudare, qui nobiliss. Familia natus sit, opibus abundet, Ius ciuile, & Philosophiam optimè calleat, & in studijs humanitatis excellat: quique domum suam libris, picturisque ornatam litteratis hominibus patere velit. id verum esse re ipsa experiuntur exteri homines, & præcipuè Flandri, qui aduersæ fortunæ tempestatibus iactati, se in eam, tanquam in portum recipiunt. illi igitur te vnice amant, & merito, qui omnium amore dignissimus sis. quibus quidem ego in eruditione plurimum, in te vero amando ne minimum quidem concedo. idque tibi, ceterisque omnibus ita testari cupio, vt nihil supra. nec despero fore, vt, quod maxime cupio, aliquando id consequar; & cum amicitiæ nostræ, tum officio meo aliqua ex parte satisfaciam. interim vehementer te rogo, vt (quo nihil mihi gratius facere poteris) amorem in me tuum perpetuo mihi conserues. ego mei potius obliuiscar, quam te amare, atque colere, & egregias tuas virtutes, atque ingentia merita grata memoria prosequi desinam. Vale. Genua. V. nonas Iulij. CIↃ. D. CVI.

F I N I S.

IOAN-

IOANNIS NICOLAI SAVLII CARREGAE GENVENSIS.

EPISTOLARVM LIBER QVINTVS.

ADMODVM RR. PATRIBVS DD. ALEXANDRO, ET AVGVSTINO GENVENSIBVS, MONACHIS CONGREGATIONIS CASSINENSIS.

BVSCHETVM.

NON *immerito de me queremini, quod ad elegantissimas litteras vestras ethrusce conscriptas, quas vna cum inscriptionibus ad me misistis, hucusque respondere distulerim. Verumtamen, si, qua de causa id a me factum sit, intellexeritis, spero fore, vt queri desinatis, & consilium probetis meum. Nam occupationum, quibus nos, nostrique Ordinis homines pæne obruimur, rationem habendam esse duxi; nec illis alias occupationes addere æquum esse existimaui. vos ipsi scitis, quantum temporis horarijs precibus, ceterisque ecclesiasticis munijs ad diuinum*

cultum

cultum pertinentibus impendendum, sit, quamque sæpe llud ipsum vel ipsi necessariæ quieti subtrahendum. accedit illud, quod ego maiorem diei partem, vel etiam noctis in ea Theologiæ parte, quæ ad mores pertinet, pono: & qui antea per mollia Prata flores perpetuos carpens solebam spatiari, ipse nunc per loca spinis obsita illis implicatus compellor inambulare. sed duæ me res maxime subleuant; altera, quod duobus doctissimis viris Familiæ vestræ Sayro, & Graphio innitor; altera vero, quod animarum saluti, quantum in me est, vtilitatique consulò. quamuis, si meta spectetur Religioso viro præ oculis semper habenda, & incœptus a me iam cursus; nihil plane progressus esse facile inueniar. it longe melior vestra conditio; cum vos tanto me velociori cursu antecedatis, quanto omnibus rebus superiores estis. vel hæc ipsa epistola vestra in summis occupationibus scripta, quam elegans, quam breuis, quam acuta est? vt haud sciam, an quisquam alius in summo otio elegantiorem, breuiorem, acutioremue scribere potuißet. itaque, quamuis atrato habitu induti incedatis, vos tamen inter eloquentiæ Candidatos vere numerauerim Sed hæc laus propria vestra est, litteris excellere, & litteras minime profiteri. Non possum paria paribus: & quamuis palma in medio omnibus posita sit, eam me tamen non laturum satis scio. itaque satius existimo manus dare, & me victum libenter fateri. Hanc quidem epistolam libenter legi, sæpiusque legam, diligenterque seruabo, amicitiæ nostræ, vestrique in me amoris pignus testemque futuram. Inscriptiones vero tanto mihi iucundiores acciderunt, quanto citius eas, atque promptius ad me perferendas curastis. quo monumentorum genere ita delector, vt,

cum

cum in sæculo degerem, in his colligendis nimio plus fortasse studij, curæque adhibuerim. næ vos duplici laude laudabiles estis, qui amicorum animis, corporibusque ita consulitis, vt istius loci, vestrique ingenij præstantissimis fructibus, tanquam suauissimo pabulo, & animi, & corpora recreentur. quorum alterum expertus sum, cum me ad vos venientem tot amoris signis ita exceperitis, vt ea mihi semper imo infixa corde futura sint: alterum vero quotidie experior, cum scripta vestra legens, & vos mihi adesse, & me vobiscum vna colloqui considero. quamquam ob alias causas non modo in ore, sed etiam amore, atque admiratione omnibus estis; ob illam præcipue, quod cum Religiosæ Familiæ pæne omnes in peius ruerint, & retro relapsæ sint: vos tamen Religioni vestræ pristinum suum tenorem, suamque obseruationem tueamini: & Sanctissimi Patris vestri Benedicti seueræ disciplinæ non adumbratam, atque inanem imaginem sed veram, solidamque effigiem referatis. cum autem hæ causæ, aliæque multæ in vnum concurrant, quantum in amorem omnium vestrum me rapiant, atque inflamment, alijs cogitandum relinquo. cuius quidem amoris erga vos singularis occasionem declarandi vt mihi detis vos magnopere rogo. quicquid enim valeo, quicquid ego sum, quamquam nihil sum, id totum ad voluntatis vestræ nutum promptum, paratumque esse perspicietis. Admodum Reuerendo Patri Abbati vestro, qui vel primo congressu, singulari humanitate, & grauitate præditus mihi visus est, ceterisque RR. Patribus, ad quos me etiam scribere intelligo, cum ad vos scribo, plurimam salutem dico. Deus. Opt. Max. ad gloriam suam, hominumque vtilitatem, vos diu omnes sospites,

incolu-

incolumesque seruet. Valete. Genuæ in Conuentu Sancti Nicolai Tolentinatis VII. Kalend. Decembris Ann. CIƆ. D. CXII.

IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

D. Augustinus Genuensis Casinas. S. D.

SAEPE *numero tibi rescribere proposui: sed quia ex lectione Epistolæ tuæ summa elegantia refertæ, omnique lepore, ac venustate affluentis, visus meus caligauit, & intellectus hebuit, haud secus, quam qui lippis oculis solem intueri, vel Maiestatem Diuinam scrutari conatur, hucusque calamum attingere non sum ausus, ne rudibus, atque impolitis meis nugis Attico sermoni tuo ex diametro oppositis, intellectus visusque tui perspicuitatem sicilizando obnubilarem. Tandem vrbanitate compulsus; vel potius omni Iure coactus, has ad te dare decreui, apertoque ore fateri, quod si olim eo modo erga te affectus eram, quo erga me ipsum, nunc audeo dicere, ac toto corde asserere & protestari, posthac me ardentiori amore Fr. Franciscum Mariam Augustinianum, quam. D. Augustinum Benedictinum totis animi viribus prosecuturum, idque ob eius singulares virtutes, Diuinasque dotes, quibus eum affluere & pollere expertus sum. Vale. Buscheti nonis Februarij. M DCXIII.*

LAVRO CATANEO.

NOVO *vitæ genere instituto, humanis litteris vale dixe-*

dixeram; nec illas vt repeterem, fore vnquam credidiſſem. Sed tua me virtus ita commouit, vt ſententiam mutauerim, & ad ſcribendum, meumque erga te amorem tibi declarandum adduci, ac impelli potuerim. Stilum igitur, quem, tribus epiſtolarum editis libris, depoſueram, & quo melius deinceps vſurus forſitan fuiſſem, in manus iterum ſumo: quamuis ille ſex annorum ſpatio, quibus non mea, cui propter Deum nuncium remiſi, ſed aliena voluntate ad alia ſtudia incubui, ac etiam nunc incumbo, rubiginem pæne obduxerit. Nullus exiſtimet, eo quod multa legerit, multaque viderit, atque expertus ſit, nihil ſibi amplius experiundum eſſe; cum in rebus humanis aliquid vltra ſemper ſit, quo quotidiana experientia progredi poſſit. de me ipſo loquor. mihi per omnem ætatem multorum conſuetudine frui, multa, ac varia ingenia pertractare contigit: ſenem tamen prope octogenarium, tot, & tantis naturæ, ingenijque dotibus ornatum, præter te, videre nunquam contigit. Ignotus antea mihi eras, nihil de te intellexeram, nihil compertum habebam. verum ad D. Nicolai templum inuiſendum cum te contuliſſes, quod Religionis cauſa ita ſæpe, & alacriter facis, vt te non labor itineris, non longinquitas loci deterreat; tunc mihi primum innotuiſti, & neſcio quid admirationis, venerationiſque animo meo inſtillaſti. Venerabar canitiem illam magnopere venerandam, ſenilem grauitatem cũ auctoritate coniunctam: admirabar corporis vigorem, vires integras, formæ dignitatem. idque tacitus faciebam ſilentio contentus, externa ſignificatione abſtinens, donec ineundæ tecum amicitiæ opportunior mihi daretur occaſio. Interim mihi de te ſciſcitanti nunciatum eſt & virum doctiſſimum

esse, egregiarumque rerum studio teneri, agriculturæ præsertim, ita vt exercitationis gratia te in agello nostro vel repurgare arbores, vel religare vites, vel serere oleas sæpe perspexerint. iam tum magnam de te conceperam opinionem, verumque philosophum te existimabam, qui honores, & diuitias contemneres, & rusticum laborem vrbano otio anteponeres. Post paucos dies, meo quidem fato contigit, vt cum lectissimo è Familia nostra adolescente Laurentij filij tui paternarum virtutum imitatoris egregij amantissimo domum tuam venerim. tunc mihi ad amicitiam tuam aditus patefactus est; & quam sitim ex quibusdam quasi riuulis magis antea incitaueram, eam ex ipso fonte, si non omnino extinguere, magna saltem ex parte sedare licuit. multa inter nos vario, dulcique sermone contulimus, cum tibi grauiora studia, quæ feliciter tractas; mihi vero pæne inanes in ijsdem studijs conatus olim mei materia loquendi fuerint. tua insuper scripta tam carmine, quam soluta oratione mihi ostendisti, quæ cum maximam vtilitatem hominibus allatura sint, ea omnino legenda, nullo vero modo supprimenda esse censeo. vt paucis multa complectar, rem ipsam maiorem inueni, quam aut ego fama acceperam, aut animo, & cogitatione antea conceperam. Epistolam scribo, non laudationem. itaque omitto, quod Brixiæ nobili vrbe, nobilique Gente Catanea natus sis; quod in celeberrimis Italiæ Gymnasijs publicum docendi munus magna cum laude sustinueris; quod denique Clarorum Virorum, amplissimorumque Cardinalium amicitia, & gratia floreas; taceo quam sis in moribus affabilis, amabilis in congressu, in sermone iucundus, modestus in vultu; vt, cum in ceteris hominibus aliud

alij

alij desit, tibi, vt numeris omnibus absolutus esses, omnia plena manu natura contulisse videatur. De Religione tamen, & pietate in Deum qua quidem virtute nullam in tuis virtutibus admirabiliorem esse existimo, tacere nullo modo possum. Hinc ille frequens Sacramentorum vsus, hinc illa singulis diebus Horariarum precum intenta recitatio, hinc illa denique admirabilis animi submissio, qua muneribus spiritualibus, & corporalibus obeundis vna nobiscum id ætatis homo sæpe solitus es tete ipse exercere. iecisti tu quidem a puero alta omnium virtutum fundamenta: progrediente postea adolescentia huiusmodi quid superædificasti humanam conditionem excedens: in hac denique prouecta ætate, viridique senecta perfectionis fastigium operi imposuisti. nos quidem, qui Deo consecrati in illius amorem ardentissimi esse deberemus eo vtcunque incensi, tuo exemplo mirum in modum inflammari consueuimus. merito igitur amicitia tua magnopere lætor; nihilque malim, quam tecum quotidie versari, & conspectu tuo, colloquioque frui ac ego equidem, si modo liceret, rationem inirem, qua desiderio meo aliqua saltem ex parte satisfacerem, cum aliquando optimi artificis manu expressa, non minus quam viua, & naturalis delectet imago. quanquam eas ipse Imagines relinquere, vt video, cogitas, quæ virtutis tuæ potius, quam corporis monumenta futura sint. restat igitur, vt tuam ad nos veniendi consuetudinem serues, & nobiscum quam sæpissime esse velis. omnes te in oculis gestant, maxime charum omnes habent. qua quidem in re, tantum abest, vt ego alicui cedam, vt omnibus me superiorem profitear. quin etiam ita tibi addictus sum, vt nihil magis hoc tempore cupiam, quam occasionem

mihi dari, qua meam erga te voluntatem teſtificari queam. verum, quando vix aliud nunc poſſum, in precibus, & ſacrificijs meis licet indignis, nunquam tui obliuiſcar, omnia tibi fauſta, feliciaque deprecabor. faxit Deus, vt ad annos centum, & vltra viuas, & ſicut mortalis genitus cum ſis, tamen immortalem nominis tui memoriam relicturus es, ſic vita hac mortali defunctus illa immortali perfruaris. Vale. Genuæ in Conuentu S. Nicolai de Tolentino. III. Kalend. Ianuarij. Ann. CIↃ. D. CXII.

IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

Laurus Cataneus Brixianus. S. P. D.

DE *viris doctis, & probis, ferre ſententiam non niſi ijs licet, qui ab eruditione, & vitæ integritate optime audiunt. Quantum enim illis credendum ſit, qui in alienas laudes impudenter magis, quam imprudenter ruunt, nec ſolida innixi virtute, nec multa præditi doctrina, illi viderint, qui ſe ab iſtis laudatoribus fucatis decipi myopes patiuntur. Exordij huius cauſſam tuę litterę pręter ſpem, atque opinionem meam, addo etiam præter meritum, a te, eruditiſſime atque optime Franciſce Maria, mihi nuper datæ, attulerunt; quibus ego, licet plus beneuolentiæ, quam veritatis, præſeferant, reſpondendum tamen eſſe duxi, tuis inſiſtens ueſtigijs, ſed multò certioribus illis cauſſis, quæ te ad ſcribendum impulerunt. Ego, ubicumque locorum, ac gentium, quas plurimas peragraui, docere, & uiuere contigit, non multorum conſuetudine, & amicitia,*

amicitia, (nam vix tertium recipit) delectabar; pau-
cioribus, potioribusque, & ijs præſertim, quorum ſtudia,
& mores (hæc enim duo potiſſimū cōciliare amicitias &
ſolent, & poſſunt) a meis non abhorrere perſpexiſſem,
familiariter vtebar; eosque maiore mihi eſſe ornamento,
quàm præſidio, arbitrabar, & volebam. Hoc vitæ inſti-
tutum cum ſemper mihi probatum alibi eſſet, in hac quo-
que præclariſſima vrbe multo conſtantius retinendum
putaui. Etenim quamuis & innocentis vitæ, & bonæ
eruditionis teſtimonio non paucos alijs in vrbibus ornan-
dos viderim; hic tamen & plura, & maiora. vtriuſque
exempla ſum expertus non modo, ſed etiam admiratus.
Nam, qui Flaccum arte, qui Maronem grauitate, qui
Tullium copia, qui Naſonem ingenio referant, ſi recenſe-
re omnes conarer, næ ad libri molem potius, quam epiſto-
læ modum accederem. Verum ex omnibus; quorum mi-
hi familiaritas eſſe iucundiſſima conſueuerit, illos aut
deligere ſi datur, aut forte oblatos, cupide complecti ſoleo,
qui non diuitias, & opes, vt quidam, ſed pietatem, & me-
liorum artium cognitionem profiteri maxime videantur.
eorum in numero principem illi apud me locum obtinent,
qui non inopia, aut periculis coacti, ſed ſponte in ſodalita-
tes probatiſſimas, arctioresque nomina dederint. His
me libentiſſime adiungo: horum conſuetudinem plurimi
facio: cum his iuſtos dies ſuauiſſime tranſigo: ab his me
non niſi propter grauiſſimas occupationes diſtraho. Quid
quæris? me tum demum hilariter viuere, & hac vita
iucunde, ac vere frui videor, quamdiu aut ego cum illis
mea ſtudia, aut mecum illi ſua communicant. Aliquam
igitur ineundæ familiaritatis, & amicitiæ occaſionem
optanti mihi, ac ſedulo quærenti, a domeſticis ſignifica-

tum

tum est; nonnullas extra vrbis huius muros locis montosis sodalitates esse, pauperimis quidem, sed inculpatæ vitæ, & optimæ doctrinæ hominibus refertas, quos sanctos verius, quam bonos, existimarent ij, quibus in familiaritatem eorum intimam peruenire concessum esset. verum præter Capucinos, vt vulgato vtar verbo, duas esse in primis, quæ à paupertate, à sapientia, & sanctitate egregiam ab omnibus laudem referrent; alteram Carmelitanam a D. Anna, Augustinianam alteram a D. Nicolao cognominatam. Harum itaque cognoscendarum percupidus, simulque exercendi corporis studio, vt vetus mihi mos est, primo forte ad D. Nicolai ascendo; admissus non grauate, ibi iuniores in diruendo aggere, & complanando loco, occupatos offendo, ea omnium alacritate, vt in exercendis ludis, & voluptatibus capiendis, nullos viderim alacriores; tantaque contentione, & silentio, (Pythagoræ discipulos diceres) &, quod caput est præcipuumque dicendum, nudis media, atque aspera hieme pedibus, vnde etiam excalceatorum nomen duxistis, vt me quoque vel libentissimum in operis, & laboris partem traherent. Ex illis adolescentulis vnus forte erat, Tiburtius nomine, optimæ indolis, & spei iuuenis, quo cum antea longa filio meo familiaritas intercesserat. Hic, post aduentum Genuam meum, ventitare ad nos cœpit cum sodalium suorum comite vno, aut altero. Tu quoque aliquando, illo comite assumpto, alloquendi, & cognoscendi penitus mei cupidus, cum ad me venißes, sermone, doctrina, prudentia, grauitate, modestiaque incredibili tua facile, quanti esses faciendus, mihi declarasti; cum ex ipso pingui, & crasso vestitu, nedum ex tot virtutibus, ipsam redoleres probitatem, quæ mihi vna semper

fuit,

fuit, eritque omnium, quæcumque in hac vita plurimi fiant, antiquissima. Quid opus est pluribus? vno illo congressu ita consociati, ita coagmentati sunt genij nostri, vt iam diuinem, nihil duobus nobis fieri posse amantius, coniunctiusque nihil: Iterum venisti, & singulares animi tui dotes mihi denuo cumulatius patefecisti. cum autem illo temporis interuallo non paruus epistolarum tuarum liber, tipis iam editus, in manus meas incidisset, eum ita auide totum perlegi, vt neque Ciceronem ipsum, neque maximum eius imitatorem mea ætate Paulum Manutium desiderarem. Hic tu mihi etiam queri videris te in isto scribendi curriculo non diu esse versatum, sed abstractum ab eo tum fuisse, cum vrgendus maxime esset stylus; idque si tibi contigisset, te non multis posthabendum fuisse. Vereor, ne me deludas potius, & cornicum oculos tentes configere, quàm excusationem afferas, cur in scribendi elegantia parum sis progressus; sed ipse de tua scriptione longe aliter sentias. Nam docti labores tui propter grauitatem, & copiam adeo mihi, si quid tamen iudicare possum, probantur, vt a summis parum, vel nihil verius, abesse serio putem: quandoquidem, qui tibi in latina oratione præstent, ferè nullos; qui vero te æquent, paucissimos, mihi crede, viderim, aut legerim. Vnde maximam tibi laudem merito peperisti; quod ex primaria apud Genuenses ortus familia, non delitijs, vt poteras, & voluptatibus, vt ditiorum plerique, sed optimis te exercendum artibus a pueritia dedideris. quas ea semper fama sequitur, quæ fluxis fortunæ rebus vt præferenda, ita & meritissimo immortalitati est comparanda. Quocumque enim rerum statu, & longo temporum decursu, velint nolint stulti, & inuidi, aliquid potius

accessionis

accessionis accipiet, quàm sentiet decessionis. Sed consilium tuum, quo te alienæ potestati liberrimus, & voluntariæ paupertati prædiues subiecisti, quis reprehendat? quis non potius vnice probet? quis non summis efferat præconijs? O te prudentem ne dicam, an felicem? illud, quia, quæcumque in terris sunt, caduca, atque inania esse cognouisti; hoc, quia tanta animi tranquillitate, & mentis serenitate frueris; quam mortalium plurimi non vident, vel potius inuident; sed ambitionis, auaritiæ, & voluptatis nube obcæcati, qua consequi possint, non intelligunt. Hinc factum est, vt ad vos semel cognitos crebro ascendam, non modò vt vegetæ senectutis meæ in agro vestro, vt ipse pluribus & venuste describis, dona labore tuear; sed magis etiam multo, vt vestrum omnium, & potissimum tuo, tamquam conuictu honestissimo, & suauissimo fruar. Videor enim mihi, cum in summum collem euado, & subiectas pedibus terras, & campos maris despicio, liberius, & quasi propius cælum intueri, atque illius contemplatione ab his infimis abstrahi, & cum cælitibus de cœlesti colloqui immortalitate. Verum, vt clausula exordio congruat, & principio finis respondeat, æquo animo patior tuas laudatissimi viri laudes ab integra, & sincera profectas voluntate, sed hac conditione, vt ostenderes, non quid ego mererer (non enim postulare, aut agnoscere tantum istud de me iudicium auderem) sed quid tu, in rhetoricis non mediocriter exercitatus, persuadere alijs de me posses, atque efficere. Ceterum, qua tu mente, quaue beneuolentia, ad quam tua omnia refero, ad me, & de me scripsisti; eodem tibi studio, & eadem charitate, obseruantiaque a me responsum esse existimato. Quod si in tuis ad superos precibus

mei

mei memoria tibi non exciderit, mihi gratum ita erit, vt gratius esse possit nihil. Vale. ex nostris ædibus. Id. Feb.

ADMODVM REVERENDO PATRI Fratri Fulgentio Baldano Eremitæ Augustiniano.

AD *arctissima amoris vincula, quibus antea obstringebamur, indissolubilem Religionis nodum accessisse magnopere gaudeo. Nam Sanctissimi Patris nostri Augustini ambo institutum sequimur, & ad æternam Beatitudinem, quamuis aliqua fortasse itineris varietate, adspiramus. Maximum quidem beneficium a Deo Opt. Max. accepimus: cuius si immemores, minusque grati fuerimus, grauissimas sanè pœnas daturi sumus. permagni quidem momenti est a periculis procul abesse, nulla rerum perturbatione commoueri, & dum alij in sæculo, tanquam in mari tempestatibus agitato, fluctibus iactantur, in tuto, & tranquillo portu se continere, & summa perfrui tranquillitate. quamuis ex altera parte magnum sit onus, quod sustinemus: cum propriæ non modo, sed alienæ etiam saluti prospicere debeamus; nihil prætermittere, quod ad profectum spiritualem pertineat; nihil vero committere, quod alijs exemplo noceat; homines in primis propter peccata æternæ felicitatis hereditate priuatos per pœnitentiam in firmam illius, ac stabilem possessionem reuocare. quæ quidem omnia ipse facillime præstas, singulari doctrina, & vitæ integritate præditus. quibus ego destitutus, tantum abest, vt illa præstare valeam, vt omnia potius ferè contra, ac debeo, omnino agam; vt Religiosi nihil, nisi habitum me reti-*

nere vere, & ex animo dicere poßim. inter cetera vero mala, quibus opprimor, torpor quidam, atque languor ita me ſæpe affligit, atque debilitat, vt, niſi aliunde remedium aliquod petam, quod me recreet, atque confirmet, non perinde, ac debeo, in ſtudio Summi Boni verſari ſoleam. at nullum efficacius remedium experior, quam Pij vatis de rebus cœleſtibus egregium carmen. & nulla materies magis me afficit, quam infinitus ille amor, quo Deus Opt. Max. homines proſequutus eſt, vt pro ijs vel acerbiſsimam necem perpeti voluerit. quid Sacrorum Poetarum lectio voluptatis, & vtilitatis non affert? ſuaui me carmine demulcet Pius, nobilisque Poeta. ſequor quocunque vocat. delicta iuuentutis fleo, ſi flere iubet; optata, ſperataque venia gaudeo, ad gaudium illectus. itaque, cum in poetica facultate ipſe tantum profeceris, vt inter claros ætatis noſtræ Poetas merito adſcribi poßis; & in ea ita verſeris, vt Poemata tua, non tam ingenij, quam pietatis monumenta eſſe velis; vt, quæ tecum meditaris, mecum quoque libenter communices, & hoc meum deſiderium, quod diu celare non potui, aliquando expleas, te etiam, atque etiam rogo. virtutis naturam hanc eſſe ſcis, vt, quanto amplius communicatur, tanto illuſtrior fiat; & eum, qui ingenij theſauros alijs ſuppeditat, nullam non modo inde penuriam pati, verum etiam ceteris largiendo ditiorem fieri. quod igitur à te peto, me facile impetraturum ſpero; cum id etiam te tua ſponte innata tibi adductum benignitate conceſſurum fuiſſe mihi perſuadeam. quod cum feceris, non id eueniet, vt ad amorem in te meum aliqua fiat acceſsio, cum eo iam progreſſus ſit, quò vltra progredi non poſsit; at illud certe, vt me tibi magis deuin-

ctum

ctum fatear; & hoc tuum beneficium mihi vtile, atque ſalutare futurum, quantum in me erit, commemorando tuear; alijs vero prædicando, notum, manifeſtumque efficiam. Vale. Genuæ in Conuentu Sancti Nicolai Tolentinatis. XII. Kal. Maij. Ann. CIƆ. D. C. XIII.

IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

Frater Fulgentius Baldanus. S. P. D.

QVAS *ad me dediſti litteras, eæ tot vinculis ad te redamandum obſtringunt, quot ſelectis, elegantiſsimisque verbis, atque ſententijs a te fuerunt conſcriptæ. in omnibus propè ſillabis tuam in me ſingularem humanitatem declaras: maximis quoque præconijs meam indignitatem extollis: carmina denique petis. Ego amori tuo amorem actiſsime rependo, nemini vnquam in te diligendo ſecundus. In laudibus autem ſileo; nam, quæ de me prædicas, de ijs eò magis tibi debeo, quò minus à me ipſo agnoſcuntur. ſed facis tu quidem amabilius: ſi quem diligere inſtituiſti, eum dignum eſſe oſtendis, qui diligatur. Petitioni vero tuæ, quamquam honeſtiſsimæ, haud ſatisfacere poſſum: primum, ita mihi iratæ ſunt Muſæ, vt ſe à me deſertas putent: deinde, licet ex earundem Heliconio refertiſsimo ærario diues redirem, quid tibi conſpiciendum proponerem niſi ſcoriam, vel cœnum? Infelix, qui, etſi à prima ætate mundo ſalutem dixi, attamen in ipſius illecebris, inania meditando, futile garriendo, amatoriaque carmina, & rudia quidem, effingendo, me totum conſumpſi. Quamobrem quotidie meis in auri-*

bus illud Apoſtoli reſonat: Quem fructum habuiſti, in quibus nunc erubeſcis? Poſtremò licet mea Clio ſacro calceata cothurno incederet, nec vbi quidem tu ſpectator adeſſes, ipſa edere modos auderet; nam & fulgentiora ſidera è conſpectu ſolis omnem ſplendorem amittunt. Quare te etiam, atque etiam rogo, vt ames, quod tibi præſto ſim potius officioſus, quàm operatus poeta. Interim me excuſatum habeas, quouſque te frui mihi liceat viſu, ſicut animo fruor. Vale. Genuæ. In Monaſterio. S. P. N. Auguſtini Septimo. Kal. Maij. M D C XIII.

IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

Ludouicus Saulius Antonij Fil. Sal.

QVAS *in me contuliſti laudes, optime, atq; Amantiſſime Sauli, litteris ad me miſſis, vt ingenue fatear, quod res eſt, gaudens, mærensque perlegi. Mærens, quod ijs me carere animi, corporisque bonis, ac virtutibus optime ſciam, quibus me cumulatum prædicas, & inſignitum: gaudens vero, quod, quanta me beneuolentia complectaris, aperte perſpexerim. Ea enim in me poſita arbitraris ornamenta, quorum niſi te tuus in me amor ſingularis idipſum ſentire ſuaderet, mirum in modum egentem, conſtanti forte animo iudicares. Bone Deus, quibus me laudibus extuliſti? quibus me bonis cumulaſti? vtinam, mi optime Sauli, vera te promere, ac recenſere, quam amico pectore, firmo potius aliquo argumento comprobares; vel ipſe, vt comprobare poſſes, effeciſſem. Ego, ſi quid ſentiam, in medium proferre licet,*

cet, sic statuo; hisce tuis litteris te non tam amici tui diuina, vt perhibes, bona retulisse, quam praeclarum animi tui exemplar, & absolutam quandam imaginem expressisse. Veras iam diu, ac solidas animi diuitias, quae multis non possunt fortunae casibus eripi, expetisti, & assequutus es, non minus tuo studio, cura, & labore, quam benigno naturae munere. Te enim singulari ingenio, mira eruditione, & maximo latinae linguae vsu (quae abs te mihi perhumaniter, vtinam etiam vere, tributa sunt) quis ignorat? adde virtutis eximia ornamenta, quibus non minus, quam generis claritate refulges. Tu enim Sauliam familiam tibi, mihique communem, tua excellenti doctrina, & virtute, quantum augeas, & amplifices, quis non videt? Nec illud omittendum, quo te ipsum, Gentemque nostram non parum illustrare voluisti. Vt diuinae gloriae, tuaeque saluti diligentius consuleres, nomen dedisti nobili non minus, quam religiosae familiae, in qua tanta vitae integritate, morumque probitate versaris, vt & Ordinis tui gentilibus praeclaram speciem, & formam exhibeas; & honori diuino, ac tuae demum Pietati, existimatione maior in dies fiat accessio; dum te ipsum, & fallaces hominum spes, & inanes, ac breui perituros honores, ac voluptates diuina pene magnitudine animi, atque constantia contemnis, ac refugis. Perge mi amantissime, ac optime Sauli, & qua te coepta via ducit, tam pia, tam laudabilis, tam honorifica, tam certa, & expedita, gressus fige, ac dirige. me autem fac, vt diligas, vt hactenus pro tua humanitate fecisti; ac tuis ad Deum precibus habeas commendatum. Ego vero tui nunquam obliuiscar. si quid aliquando me posse existimabis, id totum tibi posse, ac velle certo scias.

ſcias. Vale. Genuæ. Nonis Maij. M DCXIII.

LVDOVICO SAVLIO ANTONII Filio Ioannes Nicolaus Saulius Carrega S. P. D.

QVAMVIS *in ceteris rebus errare poſſim, in dignoſcendis tamen vniuſcuiuſque meritis nunquam errraui. attente inſpicienti vbi ſit virtus facile apparet; quæ non ita celari poteſt, quin aliquo ſplendore præfulgeat. nam vel ex primo congreſſu nota mihi fuit modeſtia tua, nota comitas, elegantia morum, ingenij præſtantia, & ad litterarum ſtudia incredibilis pæne propenſio. quibus præſentes non modo, ſed etiam abſentes, longeque diſiunctos ad te amandum, atque laudandum impellis. me vero tum virtutibus, tum in me meritis tuis impulſum, quid facere par eſt? niſi enim tui amore incendar, teque laudibus ornare coner, profecto ingrati animi vitio, vel maleuolentia ſuffuſi, laborare videar. ac vtinam amori in te meo reſponderet ingenium: profecto, quemadmodum multis nominibus laudabilis es, ita meritis à me laudibus ornatus iam eßes. quod ſecus factum eſt in ea ad te iampridem ſcripta epiſtola; cum ex ipſis virtutibus tuis paucas tantummodo ſelegerim easque vt malus artifex adumbrauerim potius, quam verius expreſſerim. Quod ſi, vbi deſit ingenium, amoris abundantia non ſuppleat; nemo eſt hominum, qui me vno miſerior ſit. hoc me tamen conſolatur, quod mendacij non arguar, cum eorum, quæ de te dixi, ipſa mihi veritas teſtis futura ſit; nec tam multa dixerim, vt non multo plura per eam mihi licuißent. neque enim corporis bonis, aut externis*

com-

commoueor, quæ veluti flosculi celerrime deficiunt, & tibi cum multis communia sunt; sed bonis animi, quæ æterna sunt, & verè tua propria dici possunt. ijs enim homines metiri soleo, cetera, vt multis & vitæ, & animæ periculis obnoxia, paruipendo. hæ vero animi dotes, quæ in homine vere bona dicuntur, cum in me nullæ prope sint, miror, cur eas in me laudes contuleris, quas si agnoscerem, & desipere, & me prorsus ignorare viderer. Scilicet ego Familiæ Sauliæ, & huic Augustinianæ, quam profiteor, splendorem affero. quis, & quibus rebus? illæ quidem, vt apparet, claræ, atque illustres; ipse autem obscurus, atque ignotus. Sed non sine causa id te fecisse arbitror. nam cum tui amantem non redamare haud æquum esse existimes; nec vllum ames, qui amore tuo dignissimus non sit; me excitas, & acuis, vt in dies meliorem me reddam, vt in eorum numero esse possim, quos merito amas. profecto efficiam, ne me frustra admonuisse videaris, cum quiduis potius mihi perpeti certum sit, quam vt amore, & amicitia tua excludar. Sed de his hactenus. Superioribus diebus, cum desiderium consuetudinis tuæ diutius ferre non possem, ad Albanam Villam, vbi tu rusticari solitus es, me conferre cogitabam; sed varijs religiosæ vitæ occupationibus ita impeditus fui, vt, vbi mente adfui, corpore præsens esse non potuerim. Et nunc cum ijsdem vrgear impedimentis; nec tui videndi, & alloquendi facultatem habeam; peterem a te, vt vel amicorum vicissitudini aliquid dandum existimans, vel legendi labore fessus, animi relaxandi causa ad D. Nicolai te conferres; sed petere non audeo, quod me assequuturum non spero; non voluntatis tuæ vitio, sed temporis, cum tristissima deseuiat hiems,

&

& omnia gelu, ac niue obtegantur. nihil igitur superest, nisi bonum epistolæ, quæ nos corporibus disiunctos, animis coniungat: etsi illius suauitas tanta non est, vt cum ea suauitate comparari possit, quam ex vultu, & oculis amici percipimus, varios animi motus præseferentibus. Sed quanto diutius a te absum, tanto sæpius de te percunctor; gaudeoque, cum ab omnibus omnia bona de te intelligam. Familiaris enim tuus mihi nuper affirmauit te in Germanica lingua tantos progressus facere, vt Germanice iam perfecte loquaris, & scribas; idque ipsi præceptori tuo planè admirationi esse. multas scire linguas laudabile est; sed cum tanto studio hanc tam feram, nobisque Italis nimio plus asperam didiceris, nescio quæ mihi suspicio incidit, quæ me angit vehementer, atque cruciat. nam quantum ego intelligere possum, tibi in animo est vestigia sequi Ioannis Ambrosij Auriæ Viri plane heroici Auunculi tui, & in Germaniam proficisci. quorum alterum laudo, alterum vero nec laudo, nec probo. in altero tua mihi gloria optabilis est, in altero incolumitas tua charior est. nam illius cœli grauitatem, quæ huius nostri temperies est, nullo modo ferre poteris. Sed fac, vt possis. omnis ergo humanitatis oblitus amicos, & Patriam aspectu tuo priuabis? aliam probandæ virtutis tuæ occasionem haud datum iri fortasse suspicaris? hæc mihi dictat meus in te amor, qui te Patriam relinquere, & procul abesse nollet. ceterum absit, vt, quod tibi ad gloriam natura iter patefecit, illud ego velim intercludere. vtere sorte tua; & Auunculum tuum aut præcedentem sequere, aut præuius antecede. Interim ego Deum precabor, vt quidquid incœperis, ex voto tibi procedat; nihil vero incipias, quod non ad Dei ipsius

gloriam,

gloriam, & animæ salutem referri omnino possit. Vale. Genuæ. XVIII. Kal. Ianuarij. MDCXIII.

ANSALDO CEBA.

EX QVO *tempore tua mihi virtus cognita fuit, dilexi te vehementer, & colui. creuere postea cum ipsa virtute meus in te amor, & obseruantia: ad summum denique perducta sunt, cum te multo libentius honores, & dignitates contemnere vidi, quam alij expetant; & sacris addictum illud vitæ genus sequi, quod est totum in Dei gloria augenda, animæque salute procuranda constitutum. cum vero Romam e Patria discessissem eo consilio, vt vni mihi & Deo viuerem; & septimus ferè sit annus, cum in hanc D. Augustini Discalceatorum Familiam nomen dedi, loci, atque vitæ mutatio facta est, non amoris in te mei, & obseruantiæ. reuersusque in Patriam quatuor ferè post annos, nihil antiquius habui, quam vt ex amicis de te, rerumque tuarum statu diligenter exquirerem. ex quibus cum ea intellexissem, quæ multo ante cognoueram, aut euentura prædixeram, voluptate potius, quam admiratione affectus sum. ea vero vt ipse sine molestia audires, a modestia tua haudquaquam me impetraturum sperarem. illud in primis auditu gratissimum fuit, te scriptis tuis iam editis ita manus admouisse, vt ex eis quædam detraxeris, multaque addideris, & ea non parum aucta iterum imprimenda curaueris. quæ cum antea eximio Poesis amore flagrans sæpe legissem, mox tamen ea iterum legendi tanto desiderio sum incensus, vt haud quiescere potuerim, donec eorum mihi copiam feceris. Itaque nunc quidquid*

otij à studijs sacris mihi conceditur, id totum in tuis scriptis peruolutandis libenter pono; cum & varietate rerum, sententiarum grauitate, suauitate carminis me mirificè capias; & siue Clarorum Virorum laudes persequeris, siue amicorum funera defles, siue de rebus superis, ac cœlestibus loqueris, mirifica iucunditate perfundas. quin etiam in animum meum bona quædam semina spargis, quæ æternæ vitæ fructus deinceps allatura sunt. quantum ex tuis scriptis ad clarum Poesis decus splendoris accesserit, res ipsa indicat, indicabitque magis, cum illud maiorum vigiliarum opus, Poema scilicet tuum, in lucem prodierit. certe si laurea corona summo Poetæ danda sit eam tibi omnino deberi nemo infitias ierit. quamquam hanc lauream in extremis habeas, quæ caducis frondibus ornata hic comam vatibus cingit breui tempore peritura; illa vero tibi prima sit, quæ magnis meritis parta, huius mundi victoribus in altera vita imponitur, nunquam viriditatem amissura. sed ab instituto meo paululum recessi, cum de tuis ipse laudibus nihil in præsentia attingere decreuerim. in ipsis tuis scriptis vidi, vt in tabula picta, statum nostræ Ciuitatis, de qua cum mihi absenti tristia quædam nunciarentur ea magna quidem, & acerba audienti erant, sed multo maiora, & acerbiora fuisse videnti velim existimes. incredibile est quam mihi in Patriam redeunti omnia conuersa, immutataque visa sint. noua omnium rerum facies oculis meis obiecta est: miratusque sum nouos mores, noua instituta, nouamque viuendi consuetudinem. vt, hinc noscere possimus, quàm facile terrena omnia fluant, atque labantur, nec diutius vno eodemque statu consistant. quæ cum sibi mutuo ruinæ materiam præbeant, multas

secum

ſecum miſerias, atque ærumnas afferunt, quæ prius nos ſæpe opprimunt, quam eas omnino venturas animaduertamus. iam amicorum qui euentus, quam varij, quam inopinati? cum alij Patres familias appellari pulchrum existimantes vxorem duxerint, alij vitam cœlibem Matrimonio præferentes in aliquam Religioſam Familiam nomen dederint, nonnulli vero, vitam hanc breuem, illa æterna commutantes, diem ſuum extremum obierint. inter quos fuit Paulus ille Monelia, vir florenti ætate, nobilitate, opibus, Iurisprudentia, & eloquentia clarus. cuius ego mortem ita dolui, vt neminem chariſſimi fratris mortem magis doluiſſe crediderim. Eo enim amoris vinculo inter nos coniuncti eramus, vt alter alterum in germani fratris loco diligeret. complures erant in eo viro eximiæ, prẹclarẹque virtutes, quibus omnium amorem ſibi conciliabat; ſed pietas in Deum, qua tanquam fundamento omnes virtutes innituntur, longe ceteris antecellebat; eamque ipſe magis adamabat quippe qui probe norat doctrinam ſine innocentia haud magni faciendam eſſe; nec vllum litteris probum eſſe poſſe, niſi probis etiam moribus prẹditus ſit. Et hanc ipſam virtutem, non tam verbis, quam ope, & opera probabat, loca ſacra libenter inuiſens, eaque multis muneribus ornans, oblatam occaſionem auide amplectens, in qua ea augere, & tueri poſſet, quẹ ad Dei gloriam pertinebant, cui vt omnino placeret, & illius voluntatem exequeretur, illi prẹcipua ſemper, ac ſumma cura fuit. quid verbis opus eſt? non ne Monelię gentis pietatem, religionem ſatis teſtatur nouum illud, atque prẹclarum Diui Nicolai Tolentinatis Templum ab ipſa tam magnifice conditum? illius quidem memoria nulla vnquam vetuſtate delebi-

tur, in animis hominum perpetuo viuet. de quibus, & litteratis præsertim tanto benemerendi studio incensus fuit, vt eorum commoda priuatis commodis semper habuerit potiora. fuerat in Belgio per aliquot annos, & cum doctissimis viris, quorum illa Prouincia feracissima est, amicitiam contraxerat. hos postea in Italiam venientes domum benigne recipiebat, consilio iuuabat, opibus fouebat, idque tam prompte, atque alacriter, vt illius non tam domum, quam animum sibi patere facile intelligerent. sed ex ijs nullus erat, quicum arctiori amoris, & amicitiæ vinculo astrictus esset, quam cum Iusto Lipsio ætate nostra litteratorum facile Principe. hunc præ ceteris amabat, illiusque libros de manibus ponere nunquam solebat. quod summa inter illos animi, & voluntatis consensio fuerit, vtriusque scripta declarant; quod alter alterum animo pæne insculptum gestauerit; effigies, quam alter alterius in tabula domi habebat, aperte ostendit. Omnino fuit Paulus noster erga litteras, & litteratos homines egregie animatus, cum ipse quoque litteris maxime excelleret. quæ quidem iam inde a prima adolescentia ita illum delectarunt, vt vna cum ætate delectatio adoleuerit, & huic delectationi ceteras ipse voluptates antetulerit. bibliothecam habebat varia, magnaque librorum copia refertam: in quam se se abdens à lectione, & scriptione nunquam cessabat; adeo vt, in litteris prorsus viueret; immo nulla ei eßet vitæ iucunditas sine litteris, quin etiam ipsa litterarum studia, sibi vitam esse fateretur. Iurisprudentiam, atque eloquentiam simul coniunxerat, non vt Dominam, & Ancillulam, sed vt vnanimes sorores, quæ sibi mutuo auxiliarentur, & administræ, comitesque essent immortalitatis, & gloriæ. erant

in eo,

in eo, vt ornamenta pacis, non instrumenta litigij, cum in ijs non quæstus, sed animi causa se exerceret, & vt amicis, & Reip. quam vnice amabat, si occasio tulisset, præsidio esset, atque adiumento. a qua cum multis honoribus decoratus esset, nihil magis in votis habebat, quam vt ei optime de se merenti aliquam gratiam referret. idque nulla re facilius, quam preclaris illis artibus Iurisprudentia inquam, & eloquentia, effici posse existimabat. in quibus cum pariter excelleret, & vtriusque studio vehementer teneretur, nescio quo pacto magis eum eloquentia delectabat, eamque ipse pluris quotidie faciebat. credo, quod pluris apud eum erat ea eleganter scribere, quæ alij admirarentur, quam ea admirari, quæ alij tam barbare scripserint. habebat tamen sua quæque tempora ad omnia constituta; adeo vt eloquentiæ non ita operam impenderet, quin his quoque rebus inuestigandis, quas natura tenebris inuoluit, cogitationis aliquid impertiret. quæ vero ingenij monumenta reliquit, cum omnium iudicio, & assensu comprobata sint, nec mea, nec cuiusquam indigent laudatione. ac vtinam diuturnior ei vitæ vsura contigisset; egregiam profecto historiam, quam scribere meditabatur, nobis daturus fuisset. & tantis tamen animi, ingenijque bonis ornatus, acerba mortis violentia, veluti flos turbine ictus, nobis repente sublatus est. nimirum mors nemini parcit, siue seni ingrauescente, siue iuueni florente ætate. non eloquentia valet, non opes sufficiunt, nec generis claritudo, aut vlla potentia, aduersus illius vim, potestatemque, quidquam possunt. vt ille magnopere laudandus sit, qui ita sibi tempestiue consulit, vt ab illa imparatus haud possit offendi. infaustum, atque infelicem plane dixerim illum

diem,

diem, qui omnem mihi voluptatem in dolorem conuertit. cui quidem tantum abest, vt ipsa dies medeatur, vt eum potius acerba sane recordatione identidem renouet. itaque, quo magis eum conor recondere, eo maius illius indicium foris præbeo. quippe tantum vulnus omnino dissimulare, vel obliuisci, in mea potestate haud esse sentio, cum ad illud sufferendum debilior sim, quam alius quisquam sit. quod quidem cum sex annorum spatio, iam plane obductum esse oportuerit, recens tamen illud ita experior, vt prope vulnus in vulnere mihi infligi videatur. & sanè, quamquam multis illius quidem interitus luctuosus fuit, nulli tamen luctuosior accidit quam mihi, Ansalde, qui ex illius doctrina maximam vtilitatem, ex consuetudine vero non mediocrem voluptatem percipiebam. mihi venit in mentem illius temporis, cum sermonem in multam diem producentes de litteris colloqueremur; orireturque inter nos suauis quædam contentio, cum ille in latina lingua me sibi anteponendum diceret, ego contra ne comparari quidem posse me affirmarem. scribebat enim ipse luculenter, & egregie, vt omnes norunt, pæne lipsiano stilo, & aliis ad scribendum animos faciebat. mihi vero huius linguæ desiderio iam multum flagranti ita veluti faces addiderat, vt illius pulchritudine magis deinceps inflammatus fuerim. sed tantum abest, vt, opinioni, quam de me conceperat, quamque aliorum animis imprimi optabat, vnquam responderim, vt ea potius me indignum præstiterim, eamque omnino fefellerim. itaque cum inter illius amicos essent etiam præstantissimi viri Abbas Tritonius, & Pater Castellus, Amplissimi Cardinalis Montalti alter a secretis, alter vero theologus; & ad eos magis amice,

quam

quam vere multa de me scripsisset, verendum erat, ne, si veritas ipsa cognita esset, illius iudicio in discrimen adducto mihi quiduis potius, quam decus pareretur. Sed quantulacunque in me est dicendi facultas, & copia, quam ego prope nullam esse fateor, vtinam & ad eum viuum laudandum, non mortuum lugendum nunc vti possem. id ego equidem libenter facerem vt, illius in me amori, quo ipse adductus, eum me esse existimabat, qui re uera non sum, ipso viuente, atque cernente, aliquam gratiam referrem. & certe si tempus spectemus, quo ille in vitam introiuit, & viuendi cursum a natura circunscriptum, non illi tam cito mortis limen subeundum, atque de vita exeundum fuerat. animus quidem nescio quid mali præsagire mihi visus est bibliothecam meam, libros inquam, amores, & delicias meas illius fidei commendanti cum de alterutrius morte mentio facta est, ac equidem fore sperabam, vt, quemadmodum illi meum de nouo vitæ statu eligendo consilium patefeceram, ita in hoc ipso statu illius, vt antea, consuetudine fruerer, & ambo in ipsius villulis, siue in Carbonaria ad D. Nicolai siue in Castelletta ad D. Annuntiatæ vna iucundissime viueremus. Sed eam me spem nunc fefellisse video & dulcissimos illius sermones frustra requiro. de quibus quidem nihil mihi aliud restat, quam amantissima illa verba, quæ paulo ante interitum protulit. meus inquit & me nomine appellabat in suscepto vitæ genere perseuerabit; noui eum sed eum amplius in terris visurus non sum. quæ quidem verba ita mihi hærent, vt prius immemor mei futurus sim quam illa vnquam ex animo meo excidere patiar. Sed nimio plus dolori forsan indulgeo, & quænam vera sit tanti mali medicina, non dispi-

dispicio. ille mortalis cum esset, mortalem sortem subire debebat; satis diu vixit, quia recte, & laudabiliter vixit. non ille exstinctus, sed meliorem in locum commutatus, æterna Beatitudine fruitur. itaque illius casus lætandus magis, quam dolendus videtur. illius mens spirat in scriptis; viuit in fratris, sororisque filijs, illis summa exspectatione adolescentulis, istis vero summa iam virtute adolescentibus. inter quos Paris Fossa, præter nobilitatem, tantis animi, ingenijque dotibus excellit, vt eas ab Auunculo, quasi hereditario iure creuisse videatur. qui quemadmodum illius perpetuus, & indiuiduus comes fuit, ita nunc ipsum in conspectu meo adeo ponit, vt eum quasi præsentem videar intueri. hæc & alia occurrunt, quæ me quidem consolantur, quo ad illam hominis partem, quæ in ratione posita facile acquiescit; sed quo ad illam alteram, quæ sensui subiecta est, in luctum, mœroremque sæpissime recido. te igitur rogo, vt me afflictum carmine recrees, iacentem excites; & simul ad propagandam Pauli Moneliæ memoriam aliquid temporis conferas. est animi ingenui, vt suis, alienis calamitatibus commoueri, & virtutem non modo in se ipso colere, sed etiam in alijs, meritis laudibus celebrare. nec aliud ferè studes in tuis scriptis, quam Clarorum Virorum res gestas immortalitati commendare, & hominibus aliquo casu oppressis alleuamentum aliquod afferre. hinc eueniet, vt Deo Opt. Max. rem gratissimam facias, optimum charissimumque amicum hac foris petita gloria augeas, ac me tibi in perpetuum summo beneficio obstringas. Vale. Genuæ. XIIII. Kalend. Augusti. Ann. MDCXIII.

IOAN-

IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

Dominicus Stotius. S. P. D.

QVAE *in rudi ingenioli mei officina lucubratiunculæ Oratione ligata, pedibusque deuincta ex tempore propemodum fuere exaratæ, eæ vltima cùm non ſint lima limatæ, atque perpolitæ, adeo vt ſibi egregij ingenij tui Heraclius lapis non ſit pertimeſcendus; verecundo ſuffuſæ rubore, manibus, & pedibus, vt aiunt, detrectabant tuum iucundiſſimum adire conſpectum. Haud enim poteram ex earum mentibus diuellere, ſe non eſſe in Critici manus caſuras, qui docto nimis perſtringeret vngue. At pro meis tandem viribus, humanitatis, ac beneuolentiæ tuæ plana admodum facta via, earum, vt addito gradu ad te properent, animum allexi. Si modo eas ſuis examinaueris ponderibus, & quas non æqua fueris lance nactus, in diſquiſitionem vocaueris, vulgare apud me non pones beneficium. Vehementer enim aueo, vt peracuto ingenij tui ſingularis ſcalpello reſeces ad imum quod reſecandum, vltimaque lima limes, quod limandum, atque perpolias, quod eſt perpoliendum, vt lucernam oleant. Quæ enim chartæ mando, cùm innumeris ferè occupationum fluctibus obruar, demorſos non ſapiunt vngues. Vale. Genuæ. decimo. Kal. Iulij. Ann. Chriſti Natiuit. M. DC XIII.*

AD DEIPARAM VIRG. EP.
ex Cant. IV. Tota pulchra es.

PVLCRVM aurum legit extremis Arimaspus in oris,
Pulcher, & irriguus nobilis hortus aquis.
Pulchræ florefcunt Arabum per littora gemmę,
Pulchra nitent puro fidera clara polo.
Pulchra per herbofas fublucent lilia valles,
Pulchra damafcenis & rofa lucet agris.
Pulchrior at Virgo es multo, & formofior omni
Auro, horto, gemma, Sidere, luce, rofa.

AD VIRG. PEREXIGVVS
laudum panegyris.

VIRGO puellares inter pulcherrima turbas
Afpice nos; miferis fi datur inde locus.
Stella maris, regina poli, pietatis alumna,
Angelici princeps virgo beata chori.
Virgo Dei benedićta parens, fpeciofa puella,
Vnica tu noftræ cauffa falutis aue.
Arca Dei, diuina domus, formofa columba,
Albaque purpureis lilia mixta rofis.
Palma virens, cœleftis odor, viridisq; fmaragdus,
Thura, faui, violæ, florida vitis aue.
Cedrus odora, quies tutiffima, fponfa Tonantis,
Cœleftique madens rore columba Dei.
Flos fine labe nitens, campi prædulcis oliua,
Cinnama, mirrha, rofæ, balfama, nardus aue.
Tu conclufus ager, viuæ tu riuulus vndæ,
Inque

Inque domos ſuperas fons ſalientis aquæ.
Clara dies, aurora micans, rutilansque piropus,
Virgo primæuæ neſcia ſordis aue.

ADMODVM REVERENDO
Dominico Stotio.
Ioannes Nicolaus Saulius Carrega. S. D.

ET AD *ſcribendum me prouocas, & triplici armorum genere vteris, epiſtola, carmine, amore. qui tibi belligerando par eſſe poſſum? cum ea ipſa arma ex Palladis officina deprompta, ſelectaque ſint, tuque ita ſtrenuus, vt non tibi quiſquam alius huiuſmodi bello ſe conferat; ego contra ita ignauus, vt non alius ipſius belli artes ineptius teneat? quid inermi, ac plane nudo cum egregie armato? quid tironi cum robuſtiſſimo? victus igitur tibi cedo, manumque porrigo. tu proſtrato, ac ſupplici ni parceres, nimis durus, ac ferreus eſſes. quæ quidem nomina haud tibi conueniunt, cum quantus quantus ſis, nihil niſi humanitas ſis. Sed quamuis aliјs rebus me vincas, amore tamen nunquam vinces: nec patiar, vt tu me magis ames, quam ego te; aut plus in te, quam in me amoris reſideat. Sed in his domeſticis pugnis, in quibus pulchrum eſt vincere, & non turpe vinci, nullus occumbit. alia pugna inſtat acris, & periculoſa cum illo humani generis immaniſſimo hoſte, qui omnes inſidias, conatusque omnes in noſtram perniciem parat. nos miſeros, quot homines ab ipſo illaqueantur? quot in ima tartara miſere detruduntur? nos, qui in munitiſſimam Religionis arcem nos contulimus, vix tuti ſumus ab illius odio, atque crudelitate. cum eo litteris,*

aut artibus certandum non eſt, ſed contemplatione, ieiunijs, carnis maceratione. ad hanc pugnam me instruas velim, Dominice; quo facilius acerrimi bellatoris inſidias declinare, conatusque reddere inanes poſſim. quid mihi profuit tantis me laboribus in latina lingua exercuiſſe? quam mercedem accepi? cum præſertim, vt omnia fecerim, propoſitum haud aſſequi potuerim. & nunc quid mihi prodeſſet, commendationem non a litteris, aut vulgi opinione, ſed à pietate, & religione, vt par eſt, ducere cupienti? iam tempus eſt, vt ego ex longo ſommo ſurgam, meque colligam; & quod religioſi viri officium ſit, diligenter conſiderem. ita vt nihil aliud, quam quod ad Dei gloriam pertinet, & propriæ, aliorumque ſaluti conducit, cogitatione, & mente complectar. Spero fore, vt hoc meum conſilium non modo laudes, ſed etiam probes; mihique auctor ſis, vt in eo, dum vixero, conſtans, ſtabiliſque permaneam. quod ſi ad Anſaldum Cebà, in funere Pauli Moneliæ, quam legiſti, epiſtolam ſcripſi; id vt facerem, vrgebat amor, pietas ſuadebat, quibus ipſum Moneliam, & viuum obſeruaui, & mortuum colo. quamobrem vt mihi ignoſcas, rogo, ſi diutius fortaſſe, quam voluiſſes, ad litteras tuas reſponderim, cum id non obliuione tui, nec amoris, aut officij neglecti culpa contigiſſe videas. ignoſcat etiam mihi velim Ioſeph Araldus adoleſcens ſingulari virtute, & probitate præditus, qui, cum epiſtolam mihi tuam, & carmina attulerit; & inſtituendæ inter nos amicitiæ auctor exſtiterit, aliquam fortaſſe ex diuturno ſilentio meo moleſtiam percepit. ceterum & epiſtolæ, & carminum mihi iucundiſſima lectio fuit; in quibus tot ingenij, & eloquentiæ lumina elucent, vt ea facilius admirari, quam iudicare poſſim.

possim. quamuis nulla re magis commendari debeant, quam splendore argumenti circa Deiparæ Virginis laudes versantis. De hac poetica, atque oratoria facultate magnopere tibi gratulor, cum in ijs pariter excellas, & ex vtraque maximam tibi gloriam compares. quam paucis vero contingat, vt oratione soluta, & carmine præstent, nemo ignorat. Et quando tantam virtutis præstantiam consecutus es, æquum est, vt impertias eam alijs, communicesque cum amicis. in quorum numero cum ego sim, & esse me vehementer gaudeam, expolitionem tuorum scriptorum auide exspecto; vt quam mihi sitim ipsa tua scripta incenderunt, ex ipso fonte sedare valeam. Sed nolo esse longior, laconismum tuum aliqua ex parte imitaturus. quanquam qui possum, cum in epistola tua, verborum prope numero sententiarum numerus respondeat? vt cohæreant extrema cum primis; quando hunc amoris, & amicitiæ campum ingressi sumus, amore inter nos certare velimus, alter alterum, quandiu vixerimus, constanter amaturi. ego quemadmodum de amore ne tantillum quidem tibi concedo, ita spero fore, vt amori in te meo, & vitæ meæ, vnus idemque sit finis. Vale. Genuæ XV. Kal. Sept. M DC XIII.

IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

Dominicus Stotius. S. P. D.

QVID *caperata fronte cudis in officina ingenij tui, mi Dominice? Hem non subolet aliud armorum genus tibi cudendum, si cum Francisco in arenam descendendum?*

dum?

dum? Aliam quæso capesse pugnam; nam Lydum in planiciem prouocas, ictu primo ictus cades, dabis manum maximo cum tuo dedecore. Heu nosce primum, quibus digladiandum gladijs, ne tuo te gladio infligas. Nonne quo primum die cum eo collocutus, ex fronte, ex oculis, ex vultu toto, tanquam in picta tabella eius animi patuit effigies? firmiora alia oportet arma condas, maioresque admoueas arietes. validissimam enim eius modestiæ, summissionis, vrbanitatis, eximiæque humanitatis arcem quatere, ac subruere, perdifficile est. Fateri enimuero cogor, me hactenus noctuinos herbeosque oculos attulisse ad intuendum, quod prælium erat ineundum. Imparatum me offendisses, ni me lyncei oculi admonuissent. exploratum sanè quidem habes, mi Francisce, quam parata, & expedita sit via ad egregiam, inusitatam, & eximiam virtutem; & ad victoriam omnium victoriarum clarissimam, & præstantissimam. Quid enim laboriosius, quam mentis fastus edomare, attollentes se spiritus, inflatumque sui admiratione animum comprimere? Nam in præstantibus ingenijs gloriæ appetitus innascitur facillime; quod haud obscurè innuit aureus ille eloquentiæ fluuius, cum off. 1. testatus est; In maximis animis, splendidissimisque ingenijs plerumque existunt honoris, imperij, potentiæ, gloriæ cupiditates. Nulla igitur virtus benè literato, ac potissimum Christiano homini æquè necessaria, nulla commodior, nulla pulchrior, & ad nominis celebritatem conciliandam accommodatior, quam modestia, animusque de se summisse existimans. Multo est melior, Deoque, & hominibus gratior modesta inscitia, quàm superba scientia. Si vera fateri volo; cum ad animi Francisci

singu-

ſingulares dotes contemplandas oculos conuerto, totus ſum in ſtupore. Quid ſupercilium ponit, qui tanquam lucifer quidam noſtra ætate exortus, ſua luce barbariei caliginem ex oculis noſtris diſcuſsit, ſcribendique perfectione ad priſcorum præſtantiam quàm proximè acceſsit, cuius libri ab omnibus, & humanitatis, & latinitatis ſtudioſis accuratiſsime ſunt legendi? Etenim in illis domicilium habet cum dignitate grauitas, cum ſubtilitate elegantia, cum varietate iucunditas, cum vbertate fructus. Apparet liquidò in illis variarum doctrinarum recondita eruditio: fulgent graues, maximique ponderis ſententiæ: eniteſcit mira orationis feſtiuitas, quæ legentium mentes allicit, & ſine vlla ſatietate, tædioque permulcet. Quid mirum? ex priſcorum illorum aureis fluminibus in agrum ſuum vberes deduxit riuos. Omnia enim, quæ in eius continentur libris, plena ſunt ſucci, plena ſanitatis, plena cultus, æquabiliter fluentia, aptis illigata numeris, multisque diſtincta luminibus. Nihil ineſt abiectum, nihil obſoletum, nihil aſperum, nihil improprium, nihil longiùs ductum, nihil obſcurum. gratulando enim eſt ſincerus, petendo verecundus, iocando vrbanus, Gratias agendo nullius meriti oblitus, commendando ſollicitus, narrando apertus, monendo non fictus, non ſimulatus. Quid plura? Quæ ex ore eius fluunt, ex Gratiarum hortulis ſunt excerpta, atque, vt rem paucis expediam, quoties primoribus (vt aiunt) labris eius lucubrationes attingo, nectaris florem, mellis medullam, attica bellaria, mihi videor delibare. At orationis meæ filum abrumpit mirifica, eximiaque eius modeſtia quæ de ſuis laudibus prædicantibus vacuas aures denegat, aliorum tanquam ſuis fauet, honores non ſitit,

immò

immò iure meritò delatos renuit. Idque re ipsa experior, quò magis omnes animi, ingenijque mei vires in eius prædicationem effundo, eo magis inopem copia fieri. Accedam igitur ad acerrimam pugnam, quæ nobis impendet cum inimico, ac vexatore hominum iniquissimo. Quid secessu aptius? Quid solitudine accommodatius ad virtutis, & sapientiæ capessendam contemplationem, in qua, vt doctrina auctiores, ita meliores euadere quimus? Hanc igitur existimo sic medullis omnibus adamasse qui apud priscos mortales insignem, celebremque eruditionis, & apud Christicolas immensam, eximiamque sanctimoniæ famam ad posteros affatim propagarunt. Nota tibi fuit anachoresis Paulli, Antonij, Arsenij, aliorumque præterea centum millium, in terris cœlestem vitam degentium, qui ad hæc diurna, nocturnaque proelia satis, superque ab armis instructi erant. Tunicas induerant admantinas, arcum gestabant venenosissimis sagittis tinctum, fulgentibus, micantibusque gladijs accincti incedebant, caputque insigni galea coopertum gerebant. Quisnam inficiari potest, quin optimum tibi vitæ genus elegeris, qui in eorum vestigijs pedem ponis? Heu quot, quantisque petitionum periculis hominum vita exposita sit; quotusquisque magno suo malo experiri cogitur. Quis non his lacessitur stimulis? quis hos non sentit aculeos? quis subiectis non vritur ardentibus flammis? Et tam varij sunt incursus, & tàm diuersæ sunt aggressiones, vt difficillimum sit grauem aliquam plagam non accipere. In singula enim quæque temporis momenta expugnare nos nititur colluctator ille noster, malorumque omnium seminator Satan. Siquidem nouit optime, cui sunt faces cupiditatis admouendæ,

cui

cui gulæ fræna remittenda, cui libidinis feruores, atque æstus excitandi, cui liuoris virus infundendum, qui mærore vngendi, qui gaudio contaminandi qui metu frangendi: cuiusque animi affectiones, atque commotiones ad vnguem consequitur. Si, quæ hisce ictibus sunt applicanda remedia, tibi traderem, non aliter, ac Sus Mineruam, docere viderer. Ineptus adeo ne sim? vt aquam in mare? in siluas ligna? Athenas noctuas? Obarma, tu me, mi Francisce, præbe scutum, suffice tela, & quo pacto stygium illum Leonem rugientem, qui circuit, quem deglutiat, ferire, eiusque neruos eneruare, atque immanissimas fauces retundere queam, edoce. Etenim precum, laborum, vigiliarum, abstinentiæ, continentiæ, castitatisque præsidia, quibus potissimum vos suffulti estis, mirum in modum perfectè vos erudiunt. De meo in te singulari amore litteras dabo; cum aliquid vacui temporis mihi relictum erit. Vale.

ADMODVM REVERENDO PATRI Fratri Francisco Mariæ Genuensi Capuccino Alexandriam.

MIHI *dubium relinquitur, plus ne voluptatis afferat, quod aliquo bono nobis frui contingat, an doloris, quod eo ipso paulo post nobis carendum sit idque cum sæpe in alijs rebus, tum in amicitia tua maxime experior; cum maximam lætitiam, quam ex tua consuetudine capiebam, maxima illico tristitia ex discessu consecuta sit, & vtra vtri præponderet ignorem. at illud certum, quod pium consilium, tuum, & memoriam tuæ consuetudinis iucundiorem, & discessum tuum, qui me val-*

de afflixit, leuiorem facit. Illa tacita viuebat sub pectore cura, quomodo a Mundo longissime disiunctus, D. O. M. arctius te coniungeres, & illius amore ardens, ac saucius ad istam Religiosissimam Familiam, quasi ceruus sitibundus ad fontem accurreres. nec in cursu pij consilij cunctatus es, eo quod nobilissima Auria Familia natus sis; aut quod Maiores tui cum imperio populis præfuerint, ac Frater natu maior nunc etiam præsit; aut denique quod Eques Hierosolymitanus factus, ad eam gloriam viam tibi munires, quæ illius amplissimi Ordinis propria est; sed hæc omnia tanquam impedimenta reiecisti, vt nudus Christum nudum expeditius sequereris. quo quidem facto declarasti te non ita candida illa Cruce pectus foris adornasse vt non multo magis eandem ipse intra præcordia condidisses. & eo ipso die fructum cepisti maximum pietatis tuæ erga Deum, quo ista noua lux oculis tuis effulsit, vt in tantis humanæ vitæ tenebris, in quibus plerique offendunt, quid sit optimum, plane videres, & ad illud exequendum animum, cogitationemque conuerteres. nec in delectu Familiæ peccasti, cum eam inter omnes elegeris, quæ a tenuibus initijs, doctrina, & sanctitate eò magnitudinis excreuit, vt vbicunque terra maris fluctibus alluitur; aut etiam solis radijs illustratur, nomen extenderit, & innumerabili prole facta sit parens. in hac autem Familia spero fore, vt vsque ad extremum ipse permaneas, hic Domum, hic Patriam inuenias; efficiasque ne minus illa tibi, quam tu illi debeas. qua lætitia perfrui, quibus te gaudijs exultare credendum est, cum sub vexillo Beatissimi illius Patris Francisci spiritualia stipendia mereas? fuit ille Dux in Christi militia, & Antesignanus egregius,

gius, eoque sanctitatis peruenit, quò ne cogitatione quidem adspirare possumus. inaudito, ac stupendo Sacrorum Stigmatum dono in primis insignis. quamuis nobis quoque non minus gloriari liceat, qui sub auspicijs Magni Patris Augustini Deo seruimus, & ne ingrati, ac degeneres Filij simus, quantum possumus, operam damus. Sed de tanto Patre parcius loquor, ne ambitione potius quadam, quam veritate impulsus eum laudare videar. quamuis nihil opus sit laudatore, cum præconium nullum, nulla laus, nulla gloria tanta sit, quæ non illi cum merito debeatur, tum vltro deferatur. Sed quid nobis proderit, si de laudibus Sanctorum disseramus, de illis vero imitandis nihil cogitemus? si illos sanctitate floruisse memoremus, nos vero illis omnino dissimillimi simus? tanto maiora meremus supplicia, quanto meliores in via Dei Duces habemus, si eos nobis exemplo præeuntes non sequamur, sed de eorum curriculo declinantes alium cursum teneamus. hæc mihi intus cano, qui a perfectione Religiosa tam longe absum, quam tu eam prope contingis. nam, quamuis vitæ tuæ habenas mihi tradidisses, vt eam in rebus spiritualibus arbitratu meo moderarer, ac regerem, æquius tamen erat, vt me potius discendi discipulum, quam docendi magistrum haberes, & ego ad imitationem tui nouum genus, cursumque viuendi dirigerem; ne, cum ego semitam ignorarem, tibi recto cursu eunti viam viderer demonstrare. Sed quidquid ego sum, quidquid valeo, quamuis vtrunque nihil plane sit, id totum tibi fuisse, & præsto futurum affirmare possum. eoque magis, quod ad voluntates nostras arctius copulandas, maximum vinculum attulit religiosæ vitæ similitudo. Religiosæ enim Familiæ quamuis ex-

ternis quibusdam cæremonijs inter ſe differant, eas tamen re vera copulatas eſſe nemo ignorat. vnum hoc doleo, quod ſæpe tecum, vt antea, loqui non poſſim. ſed ſi mihi coram id non licebit, per litteras abſens tecum loquar, quo nihil mihi iucundius eſſe poterit. quamobrem te, vt ad has litteras reſcribere velis, ſuperiores tuos, vt tibi reſcribendi facultatem concedant, valde rogo. & quamuis hoc tibi natura largita ſit, vt vtraque lingua egregie ſcribas, quippe qui in litterarum ſtudijs ita verſatus ſis, vt Iuriſprudentiæ laurea donari potuiſſes: tamen ſi latina id feceris; neſcio quo pacto gratius erit. quamquam litterarum officium vt intermittatur, ſpero tamen fore, vt vel in maxima diſiunctione locorum, amore, & amicitia coniuncti maneamus: ita vt quocunque in loco fuerimus, idem amor, eadem ſemper amicitia futura ſit. Vale. Genuæ. in Conuentu. S. Nicolai de Tolentino. V. Kal. Octob. MDCXIII.

ADMODVM REVERENDO D. P. Ioſepho Araldo.

Nihil *virtute amabilius, nullusq́ue dignior amari, quam qui ea præditus ſit. itaque quo primum die tecum locutus ſum, eo ipſo die te vnice amaui; meq́ue a te aliqua fortaſſe opinione virtutis de me adducto redamari intellexi. poſtea ſæpe vna fuimus, ac etiam nunc ſumus; nec ſtudia tua, aut occupationes meæ impediunt, quominus vterque vtriuſque conſuetudine perfruamur. conueniunt mores, officia intercedunt, & creuit amor ita, vt fraterno ferè iam ſe æquare videatur. cum igitur ipſe tam arcto amicitiæ vinculo nos coniunxerit, quid*

mirum,

mirum, ſi nullos coniunctiores eſſe, quam nosmetipſi inter nos ſumus, & ipſam amicitiam in perpetuum duraturam exiſtimem? libet hoc mihi de ea augurari, cum virtute conglutinata ſit, & illius quaſi nutrimento alatur, & confirmetur. ea enim amicitia, quæ ſemel diſſui potuit, optime ſuta certe non erat; & quæ vix exorta ſtatim exſtinguitur, virtutis alimentum profecto non habuit. Plurimum quidem momenti affert ad amicitias conciliandas vitæ ſimilitudo. nam & ſacris tu te ipſum addixiſti, & ego ſacris initiatus ſum. pari vterque ſtudio, parique conatu Deo ſeruimus: etſi in hoc non ſit par vtriusque vitæ conditio, cum tu liber, & ſolutus id facias; ego autem ſolemni religionis voto obſtrictus: tu Domino fructus tantummodo afferas; ego & fructuum, & fundi ſimul illi totam, & perfectam poſſeſſionem tradiderim. Sed ſi ſenſus tuos optime teneo, in via Dei longius procedere cupis, & ex huius ſæculi periculis in portum te te recipere. faxit Deus, vt ſecundis ventis vtaris, et, quod maxime cupis, idipſũ aſſequi poſſis. iam vero eademmet ſtudia, quam facile amorem concilient, & amicos inter ſe coniungant, quis ignorat? nam in litterarum ſtudijs ita verſaris, vt latinam linguam in delicijs habeas, & ad eam perdiſcendam omne ſtudium conferas. cuius quidem profeſſio quamuis mea numquam fuerit, ac multo minus deinceps futura ſit: me tamen ad eam valde propenſum eſſe, & hanc ipſam propenſionem longinquitate temporis non modo non minui, ſed magis magisque augeri, negare haud poſſum. Diuinũ hoc eſt beneficiũ, quod vitam tuam ita inſtitueris, vt ineuntis ætatis laudem non ab inanibus rebus, noxijsq; voluptatibus, ſed ab honeſtis cogitationibus, ac ſtudijs

ducen-

ducendam existimes. huiusmodi beneficium non omnibus contigit. vides alios ita quæstui, & lucro deditos esse, vt in diuitijs accumulandis tempus consumant; alios vero ita voluptatibus indulgentes, vt in ijs perquirendis prorsus insaniant. Tu quidem sapienter facis, quod a vulgo, quantum possis, te separes, & ad paucorum numerum te adiungas, qui vulgum, & vulgaria contemnunt. his initijs positis, ac fundamentis iactis quale ædificium excitatum iri existimabimus? quantam firmitudinem habiturum? nam illud certe ædificium facile concidet, cuius fundamenta vitium fecerint. Flos præcedit fructum. Agricola cum flores in arboribus videt, fructus quoque se visurum putat. cum te igitur tot ingenij floribus ornatum videam, cur suauissimos fructus consecuturos non sperem? cur hanc spem felicem exitum non habituram existimem? quod autem in latina lingua tam libenter industriam ponas, id ex prudenti iudicio facis. quod vero eum me esse putes, qui studijs tuis consulere possim, in eo magnopere erras. cum ad hanc rem nec ingenium mihi, nec doctrina etiam suppetat; & in hoc vitæ genere aliud mihi cogitandum sit, ne ea repetere videar, quæ iampridem omisi, & ea mihi gloriæ ducere, quæ vt a professione mea prorsus aliena, iure reprehendi fortasse possunt. quamobrem te rogo, vt hanc opinionem deponas, & de me ipso, mihimetipsi potius, quam tibi credas. quamquam nihil sciam, quod tibi libenter non traderem; & nihil tam difficile, arduum ve sit, quod non tua causa libenter quoque præstarem. quod si rem ipsam tam facile, quam voluntatem tibi emetiri possem, id verissimum esse perspiceres. Sed aquam e pumice postulas. quid enim tibi deesse potest ad hanc latinæ linguæ

sitim

ſitim explendam, cum Sinibaldi Ferrarij, qui omnibus doctrina, & eloquentiæ copijs abundat, conſuetudine fruaris? is reconditos huius linguæ fontes tibi patefaciet, ex quibus non tam bene dicendi, quam recte viuendi præcepta hauries. Ego quid ſim, neſcio; at illud certo ſcio, quod, quidquid ego ſum, de ijsdem fontibus fluxi. idque cum libenter fateor, tum etiam maxime glorior. ex eo intelliges, tibi in primis ſtudendum eſſe, vt ſummo latinæ linguæ deſiderio tibi inſito, vel potius innato ſummum quoque ſtudium addas, efficiasque exercitatione, ac ſtilo in dies magis vt alatur, & creſcat. Et cum eloquentia ex verbis, & ſententijs conſtet, tibi operam dandam, vt illis optimis, & lectiſſimis, his vero acutis, & grauibus vtaris; in illis luculentus, in his vero copioſus exiſtas; vt oratio tua pura, & emendata, ac vere latina ſit, & cogitationes, quæ animo inciderint, ornate, ac decenter eloquaris intelliges præterea latinam linguam imitatione vniuerſam contineri, eamque non ex vno, aut altero ſcriptore, ſed ex optimis quibusque, & probatiſſimis petendam eſſe. itaque ſummo iudicio eos eligendos eſſe, quos imiteris, & multos etiam legendos, quamuis non imitandos, vt inter varia, diuerſaque ſcribendi genera, illud eligere poſſis, quod ceteris omnino præferendum ſit, & omnium laude, atque plauſu comprobatum iri exiſtimaueris. eam tibi exercitationem magnopere laudabit, qua nonnullas antiquorum ſententias mediteris, & tecum voluas, easque alijs verbis exprimas, ac ſtudio æmulationis, & gloriæ ſplendidiores etiam reddas. illud quoque tibi vtiliſſimum futurum affirmabit, ſi aliqua ex Cicerone hetruſce verſa, ea latine rurſus reddideris, & cum perfecto ipſius Ciceronis exem-

plari

plari contuleris, vt quæ in tuis scriptis bona inueneris, meliora efficias, & quæ non optima, facile corrigas. hæc, & alia multa disces a Sinibaldo Ferrario nostro. quæ tibi maxime vtilia esse senties. quamobrem his non immorabor, sed nonnulla tantummodo ad te cohortandum colligam, quæ etsi tibi necessaria futura non arbitror, eo tamen modo proderunt, quo calcar currenti equo, qui quamuis sua sponte satis incitatus sit, vehementius tamen ad optatam metam contingendam adhuc etiam inflammatur. Eloquentiæ iter ingressus es, fac igitur vt illud conficias, & eorum tibi gloria incitamentum sit, qui ad summam eloquentiæ laudem peruenerunt. quod si aliquantulum progresso paullo asperior via tibi videretur, pedemque referres, tum valde reprehendendus esses, tum nullum ex laboribus tuis posteritatis fructum perciperes. quos quidem labores, dum ætas, & vires sinunt, libenter ferre debes, eosque instar suauissimi cibi habere, quo nutriaris. ætate quidem viges, & viribus polles, sed illa præteruolat, hæ vero debilitantur. Et quamuis hiemi succedat ver, nulla tamen senectuti succedit iuuentus. Verumtamen non auctor tibi sum, vt in libris euoluendis totos dies sine vlla intermissione consumas, sed vt legendi laborem quadam quasi pausa modereris. Suum quæque res & locum, & tempus habet. nimio studio frangitur animus, vegetior post otia, & acrior fit. itaque a libris aliquando disiunctus ad amicos libenter te referes. non tamen tibi curandum est, vt tua scripta legantur ab omnibus, vel probentur, sed a paucis tantummodo; quorum erga te beneuolentiam perspectam habeas, & consilium tuto sequaris. Sunt enim nonnulli ita iudicio deprauato, vt in rebus veritatem non

per-

perspiciant; nonnulli ita natura improbi, vt alienæ industriæ viuere partus nollent. ex his non deerunt fortasse aliqui, qui te reprehendant, quod in latina lingua tantum studij, ac temporis ponas. sed habes, quod ijs respondeas, te scilicet antiquos illos potius, quam hos recentes imitari velle, cum ex illis, quanta sit latinæ linguæ pulchritudo, ex his vero quanta sit eiusdem difficultas, facile intelligas. & sanè dolendum est plerosque adolescentes memoria, & ingenio præstantes, latina lingua contempta, huius hetruscæ studio totam vitam impendere, & crudeles in matrem filiæ tantummodo patrocinium suscipere. Tu vero perge in hoc laudabili cursu, & latinam linguam a veteribus illis Romanis, veluti picturam nobis relictam, a nonnullis vero Auorum memoria pæne deformatam, & a paucis doctissimis Viris in antiquum statum postea restitutam, tuere, atque defende. quod cum ego conatus sim, tantum abest, vt aliqua ex parte id perfecerim, vt potius hanc ipsam linguam lutosis maculis adsperserim, atque fœdauerim. Nunc ego ad alia me conuertam, & peccata mea, quorum pondere grauis incedo, & pœnitentiam nondum egi, lachrimis delere conabor. habeo quid faciam, dum viuam, sacrificijs scilicet Deum placare, ne pro ipsis peccatis a me digna supplicia sumat. quæ quidem peccata cum mihi ante oculos propono, maxima illico tristitiæ nubes animo officit. Sed cum Deum mente specto, maxima illi effulget lætitiæ lux. Ad hanc tristitiam accedit dolor, quem maximum tuli ex acerbissima morte Hieronymi à Sancta Maria, summa indole præditi adolescentis, cuius dulcem recordationem, nisi mors, mihi adimet nemo. Antonij Mariæ Bezani nomine in sæculo

appellabatur, & cum honestis parentibus ortus esset, & annum ageret decimum octauum, in societatem nostram tanto Dei amore incensus se contulit, vt nihil quicquam deinceps de eo remiserit; sed in dies magis, magisque inflammatus fuerit. Non enim ille quidem bene incœpit, sed in eo non perseuerauit; aut perseuerauit quidem, sed in maiorum institutis aliquando hæsit; quinimo eodem semper vitæ tenore annum ferè integrum nobiscum simul vixit, & quotidiana Religionis officia vultu semper tranquillo, & sereno promptissimus obijt. Pauci ei supererant dies ad professionem emittendam, & eam quidem emissurus erat, sed Deo aliter visum, qui illius quidem emittendæ maximum illi in terris desiderium iniecerat; illud tamen perficiendi in cœlis potestatem fecit. incidit in febrim, quæ postea adeo creuit, vt amplius medicinæ locum non reliquerit, eaque exstinctus sit, & cum eo simul plures quoque virtutes, quibus ipse floruit, exstinctæ videantur. toto eo tempore, quo æger lectulo decubuit, quod sanè exiguum fuit, se moriturum affirmauit, nec id negantibus vllo modo assentiebat, quasi aduentantis mortis præscius esset. non sine fletu ei mortuo honorem præstitimus, quem viuum amauimus nec adhuc lachrymas tenemus, quibus eum nobis ademptum frustra requirimus. Hieronymus, vt dixi, illi nomen erat, & Diuum Hieronymum intimo affectu venerabatur, eumque nocte ipsa, quæ mortem antecessit, in somnis vidit; & Pridie Kal. Octobris, qui dies ipsi D. Hieronymo sacer est, è vita decessit. quæ quidem omnia, non tam diligenter videntur consideranda, quam magnopere admiranda. felicem eum appello, qui tam cito longum iter confecerit, & in Patriam peruenerit: nos miseros,

miseros, qui ab ea procul aberrantes, in hoc exilio viuimus, vbi priuatis, publicisque calamitatibus quotidie vexamur. Quis sine lachrymis acerbum illum casum spectare potuit, qui tertio Idus Nouembris, quo die Diui Martini memoria recolitur, hic accidit? maxima vi ventorum, ita mare concitatum esse, vt extra fines suos pæne egressum videretur. Et quinquagiuta nauigia onusta mercibus, inter quæ maiora viginti fuere, in ipso portu naufragium fecisse, ac plures homines, cum ex nauticis, tum ex ciuibus, qui cupide ad visendum progressi erant, vndis misere obrutos esse, ita vt necesse fuerit precibus, & votis iram Dei lenire, quæ maiorem vindictam minabatur? Vrbs quidem Genua dum stabit, memor semper futura est; non immemor vero nullum tutiorem esse portum, quam se, suaque omnia Deo committere. quem quidem precor, vt quemadmodum nos in hac vita fraterno amore inter nos amamus, ita in altera vita nobis concedat, vt perfecta charitate coniuncti Deo ipso, qui verus amor est, & quo nihil melius desiderari potest, perfruamur. Vale. Genuæ. Tertio Kal. Decemb. MDCXIII.

*

EGO *verò illius temporis memoriam sæpe vsurpare soleo, cum totos ferè dies vna eramus, alter cum altero consilia nostra ita communicantes, vt fraterne necessitudinis potius, quàm affinitatis coniunctio inter nos esse videretur. Verum affinitas a Maioribus nostris orta est, amicitia à nobis, eaque in dies non solum confirmata, sed etiam aucta vehementer. nam quamuis diuersa*

vitæ ratio ab illa pænè quotidiana familiaritate ad varia ſtudia nos abduxerit; amoris tamen, qui idem manet, curſum interrumpere nunquam potuit. tu enim a ſtudio liberalitatis exercendæ ad rem augendam impulſus te totum negotijs dediſti; ego ad litterarum ſtudia natura propenſus litterato otio nihil antepoſui. & quemadmodum ipſe aliquandiu ijsdem ingreſſus itineribus ire cœperas, ijsque poſtea mutatis, à litteris ad res agendas te contuliſti; ita ego cum aliquando negotiorum fluctibus me commiſiſſem, certiori poſtea curſu ad litteras, tanquam ad tranquilliſſimum portum confugi. Tu ex animi tui ſententia vxorem poſtea duxiſti, ego vitam cælibem delegi, & nulla in re delectum æquè bene vnquam me adhibuiſſe exiſtimo. Tu denique ſingulari induſtria, conſilio, & prudentia præditus, quod tibi in animo propoſuiſti, aſſequutus es; ego quidem conatus ſum, ſed tantum abeſt, vt propoſiti campos fuerim, vt mihi conanti nihil planè ſucceſſerit. nonnulla prætereo, quæ nobis fortuitò acciderunt ex ijs, quibus hominum vita turbatur, & fluctuat, parentum præſertim, amicorumque mortem: nam ad ea perferenda iampridem animum præparauimus, vt potè qui per aduerſa, & læta ad Cœlum tendere ſacris litteris edocemur. bene eſt, quod rebus aduerſis recenſendis ſuperfuerimus, & earum memoria ita nobis iucunda ſit, vt eas nos ſubijſſe magnopere delectet. verum, vt dixi, præterita omittamus. res eò adducta eſt loci, vt tu diuitijs affluens ſplendidè viuas, & in liberis rectè educandis, Chriſtianæque pietatis operibus exercendis totus ſis; ego mea paupertate contentus ſim, Tirones inſtruam, & Deo meo vota perſoluam. Et quamuis vterque ſuo ſtudio delectetur, amamus tamen

inter

inter nos non tàm veteri, quàm vero amore; nihilque tàm arduum, difficile ve eßet, quod non alter alteri præstaremus. Sed in hoc etiam diuersa vtriusque nostrum ratio est. tibi enim cum voluntate vires adsunt, vt quidquid velis, facilè perficias; mihi autem præter voluntatem quid superest? quid enim poßum aliud, quàm à D. O. M. precari, vt res tuas meliores, amplioresque faciat, & eas perpetuò seruet incolumes? quod diligenter adhuc feci, nec vllum deinceps intermittam tempus id diligentius faciendi. vt si à me tibi, vt meritus es de me, gratia referri non possit, eam saltem haberi intelligas. Ac sanè magnopere gaudeo, quod preces meæ apud Deum inanes non videntur, tua potius, vt arbitror, delectatum fide, quam mea offensum indignitate. nam apud omnes quo loco sis, qua existimatione, quibus fortunis auctus, notum cum sit, pluribus à me verbis referri necesse non est. Sed illa haud paullò præstantiora in te sunt, quod ita viuas, vt Parentum tuorum spectatæ integritatis, & innocentiæ in dies similiorem te præbeas; & Familiam tuam quamuis per Italiam satis illustrem, nouo tamen splendore multò illustriorem reddas. cui quidem Familiæ splendoris non minus afferunt Sorores tuæ, Moniales ordinis Diui Dominici in Cœnobio Sancti Siluestri de Pisis, quæ cum totas se Deo dicauerint, ita piè, sancteque illi seruiunt, vt, quamuis angustis loci terminis includantur, pietatis tamen, ac Sanctitatis earum lumen nescio quo pacto erumpat. Nec verò vnquam deerunt eidemmet Familiæ splendoris incrementa, cum liberi tui, vel in ipsa pueritia futuræ virtutis, clarissima signa præseferant. præclara illa ornamenta, quæ dixi, tibi diuinitus conceßa, mecum sæpe animo contemplor, & in amicitia

nostra

noſtra cum ſumma affinitate coniuncta hoc tempore planè conquieſco. quæ quidem amicitia, cum tuis in me meritis, meoque in te ſingulari amore ita diligenter ſit culta, vt, quamdiu vtrique noſtrum vita contigerit, duratura ſit; eorumdem in me meritorum, meæque in te obſeruantiæ hanc epiſtolam extare volui perpetuum quaſi pignus, & monumentum. Vale. Genuæ. VIII. Kal. April. M DCXVI.

ADMODVM REVERENDO D.P. Thadæo Riccio.

Cognoveram *iampridem ex multorum ſermonibus de tua ſingulari doctrina, & eloquentia, necnon de præclara admodum, atque laudabili in ijs communicandis conſuetudine; tuique amore ita incenſus eram, vt nihil mallem, quam occaſionem mihi dari, qua eum tibi patefacerem. Sed opportune eam mihi quærenti ecce tibi mea cum ad Vrbem profectio, tum noua viuendi inſtituta ratio omnem prorſus occaſionem eripuit: quamuis animum in te meum non immutauerit, nec vlla res immutatura ſit vnquam. Nã vt ipſe in virtute colenda tui ſimilis ſemper es, ita ego in te amando mei diſſimilis eſſe non poſſum; cum in te habeas, quod amabilem te omnibus reddat. Sed meum hac de re conſilium nihil iam mihi differendum eſſe duxi, ne forte illud, quod antea factum eſt, aliquid impediret, aut certe retardaret. itaque has ad te litteras dare volui mei erga te amoris teſtes futuras, donec mihi coram, quantum te amem, quantique faciam, oſtendere liceat. Sed æquum eſſet, vt aliquo ſimul iucundiori argumento vterer, vel ex tuis laudibus.*

dibus, quod facile possem, argumentum aliquod arriperem. Sed alterum facere nequeo, cum omnem iucunditatem prorsus amiserim; alterum libens omitto, cum te summa modestia præditum ne offendam, valde timeam. Quod si in amplissimo laudum tuarum campo spatiari vellem, quanta mihi dicendi materies daretur? quam præclara? quam luculenta? perfectam multarum artium cognitionem, atque scientiam tibi comparasti, ijsque eloquentiam adiunxisti, instar nobilissimi artificis, qui ad maius naturæ decus præfulgidas gemmas fulgenti auro incluserit. Et cum multi doctrinam ita occultent, vt ad eam velut interiori Sacrario reconditam nulli pateat aditus; tu tamen eam amicis libenter impertis, communicasque cum multis; quibus, siue Ciceroniano ore tonas, siue Virgiliana tuba suauissime canis, aures imples, animumque demulces. hinc maxima Reip. nostræ à te oritur vtilitas, cum alumni disciplinæ tuæ, quos non tam doctiores, quam meliores reddis, ad illius gubernacula accedant, eamdemque optime gubernent. quam quidem communem vtilitatem ita tibi proponis, vt eam priuatæ anteponas, & præclaram tuorum laborum mercedem existimes, longe maiorem à Deo olim accepturus. Quanta autem constantia illud naturæ incommodum perfers, quo in perpetuum oculorum lumine priuatus es? quibus commodis idipsum compensas? hunc solem non vides; at illius, qui sol iustitiæ est, tanto magis lumen animo percipis, quanto magis ab omni rerum terrenarum interiectu liber existis; vt nihil damni tibi cæcitas attulisse, sed potius admirabiliorem te fecisse videatur. tempus deficeret potius, quam materies, si tuas laudes dicere aggrederer, nec tam diligenter id facerem, vt

non

non longe maiora dictis superessent. Sed, vt annueram, tristitia sic afficior, vt quemadmodum ad lætitiam haud ita facile traducor, ita in lugubri argumento versari perpetuo velim. Et vere vt dicam quæ nobis lætitia esse potest in tantis humanæ vitæ miserijs, nostrorum temporum calamitatibus, amicorum morte, charissimorumque amissione? quæ quidem omnia ad me nunc magis pertinere arbitror; ijsque magis commoueri soleo, postea quam, relicto sæculo, in hanc societatem nomen dedi; cum viri religiosi officium id etiam postulet, vt ipse per sacrificia, & preces, à Deo Opt. Max. ijs, qui nunc viuunt, veniam impetret; ijs vero, qui mortui sunt, æternam beatitudinem deprecetur. Et ecce nunc me magnopere vrget memoria Scipionis ex Condominis Cellæ, qui ita mortuus non est, vt non apud me viuat, victurusque sit semper. Versatur mihi ante oculos illius animi altitudo cum summa humanitate coniuncta, suauitas morum, sermonis elegantia, in rebus gerendis dexteritas, & apud omnes denique, qui eum nouerant, gratia singularis. quæ animi dotes tanto magis in eo laudabiles erant, quanto maior huiusmodi Virorum, qui ijs præditi sint, nobis penuria est. in eo autem numero, qui eum nouerant, & diligebant, te quoque fuisse non dubitauerim, cum illius tanta virtus esset, vt perquam paucos reperisses, qui non eum cognoscerent, maximeque diligerent. Ego equidem eum vel mortuum ita amo, vt meus in illum amor vltimum diem, nisi quem & vita, habiturus non sit. Et hunc ipsum amorem, quam difficile sit scriptis non prodere, ij, qui sciunt, quid sit amor, non ignorant. Illius prætermitto nobilitatem, quam a Maioribus magnam quidem, & amplam accepisse non contentus,

tus, tanta accessione cumulauit, vt maius & ipse posteris decus, & gloria futurus sit. prætermitto etiam Iuris Ciuilis scientiam, in qua ipse ita excelluit, vt non magis vt optimus Poeta homines poesi delectaret, quam vt optimus Iureconsultus eisdem Iurisprudentia caueret. De poetica autem facultate, ad quam natura propensior fuit, & ex qua maiorem sibi gloriam comparauit, facere non possum, quin aliquid dicam. Poesis quidem diuina res est, ita vt homines in sui admirationem facile adducat. Sed eadem quam difficilis sit, ex multorum numero, qui maiori conatu, quam feliciori successu in ea se exercent, intelligi potest. nam quantumuis licet ceteris rebus quis excellat, nisi adiutricem naturam habeat, quidquid in hoc genere tentauerit, parum ei ex sententia cedet: sed si non tam arte, quam natura valuerit, & illa duo, propter quæ Poeta præcipue laudatur, vt scilicet prosit, & delectet, consecutus fuerit; omne tulisse punctum, nomenque Poetæ, atque honorem mereri censebitur. sed vtrum Scipio noster in ijs scriptis, quæ nobis reliquit, talem se præbuerit, nec ne, optimis huius facultatis æstimatoribus iudicandum relinquo. qui de hac re quid sentiant, cum omnibus notum sit, nihil verbis opus esse existimo. quæ quidem scripta, si cum aliorum scriptis compararentur, non aliter, quam pulchra aliqua res rei admota contrariæ, multo pulchriora apparent. ac vtinam, cui tam diues poesis vena contigerat, diuturnior quoque vita contigisset: næ ille ingenij sui thesauros, reconditasque diuitias multo vberius nobis patefecisset. Quot virtutes multorum annorum laboribus collectæ mortis vi puncto temporis intereunt? quomodo vno die cadit arbor, quæ multis annis radices egit? hinc nobis exemplum sumendum est,

cum illi nihil acciderit, quod etiam nobis euenturum non ſit. hinc etiam illi felices exiſtimandi, qui huius tam rapidi torrentis quæ vita dicitur, & tantopere delectat, & placet, vadum repererint, vt hic quiete, ac tranquille viuant in æterna illa quiete, atque tranquillitate in cœlo poſtea victuri. qua quidem nunc frui amicum noſtrum quæ illius vitæ probitas erat, ac pietas in Deum, pie credere poſſumus. Et nihilominus tali amico priuatus, magno in dolore verſor, qui identidem multo vehementius renouatur, cum ea loca pertranſeo, in quibus, dum ipſe in vita, ego vero in ſæculo manerem, vel quieſcentes, vel inambulantes de litteris ſæpe collocuti ſumus. cui quidem dolori ſi quid opis afferre potes, vt certe plurimum potes, id vt afferas, te etiam, atque etiam rogo. nam & animo ægrotanti optima eſt medicina, qua ipſe leuetur, conſolatoria amici oratio; & ceteras virtutes, vt ſcis, miſericordia maxime commendat; adeo vt hominis perfecti maximum argumentum ſit dolere dolentibus, alienisque miſeriys commoueri: immo tanto quiſq; perfectior ſit, quanto id abſolutius, atque perfectius præſtiterit. quod ſi ipſius Scipionis vitam ſcribendam ſuſciperes, eſſet materies digna eloquentia tua; & ei, qui præclaris ſcriptis, dum vixit, multorum memoriam immortalem reddidit, par quoque gratia referretur. cum ipſa virtus, quamuis propria luce conſpicua ſit, non parum tamen illuſtretur excellentis ſcriptoris induſtria. quod quidem onus mihi prius ab amore impoſitum libenter ſubirem, niſi illud viribus meis longe impar exiſtimarem. te vero nihil impediet, quominus illud egregie ſuſtineas, cum ea tibi leuia ſint, quæ aliys pergrauia videantur. neque hac in re multis precibus vtar, cum ea ipſa res facilius,

cilius, quod a te peto, impetratura videatur, quæ tanquam amplissimum præmium hoc tibi pollicetur fore, vt Scipionis nomen scriptis, ac laudibus non celebres, quin tuum quoque cum æternitate coniungas. Vale. Genuæ. IX. Kal. Martij MDCXIV.

IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

Thadæus Riccius. S. P. D.

ACCEPTIS *tuis litteris, quibus tum eximia tua humanitas, tum admirabilis, mihique iam antea perspecta dicendi facultas facile perspicitur, diu animi pependi, quæ nam respondendi ratio adhibenda esset. etenim, partim omnibus mihi neruis contendendum arbitrabar, ne quid vir adeo egregius à me frustra petijsse videretur; partim vero habita virium mearum ratione illis longe impar onus impositum dolebam. itaque iam constitueram a respondendi munere penitus abstinere: sed obijciebat statim se se ingrati animi nota, quam vllo procul dubio subijssem, nisi, quam mihi tuæ iucundæ fuerint, saltem pro viribus significaßem. verum vnde initium sumam, non video. cerno enim tuam hanc epistolam in duas potissimum diuisam esse partes, in quarum altera vbi mihi tantum tribuis, quantum ego nec agnosco, nec postulo, facis tu quidem amicè, sed rationem mihi potius patefacis, qua me gerere debeam, normamque præscribis, ad quam cogitationes meæ dirigantur; quam, vt vel minimam eius partem consequi possim. altera autem non mediocri me molestia affecit; non quod*

is, cuius obitum deploras, mihi aut vsu, aut etiam nomine notus eßet, sed quod te, quem summopere colo, atque obseruo, eius causa mœrore grauatum conspexerim; neque me huiusmodi esse agnoscam, qui dictis dolorem tuum mitigare possim. quamquam si ij sumus, qui profecto esse debemus, vt hanc vitam, vt pote quæ fluxa est, ac fragilis, nullius eße ponderis, humanamque felicitatem totam in animi bonis collocandam esse censeamus, nihil est quod angamur. si enim ijs virtutibus præditus fuit, quas ipse commemoras, quid non est adeptus, quod homini fas esset optare? vt ex adeo excelso loco, quem inter mortales obtinuit, ex ergastulo, vinculisque corporis solutus ad cœlestem patriam protinus euolaße videatur. præclare vero etiam in morte cum illo actum est, quod te superstitem reliquit, in cuius memoria, ac beneuolentia conquiescat. quod si hæc tuo in illum amori minora videantur, pluraque illi præstare optes pietatis officia; habes vnde eum à mortuis excitare possis. nam monumentis tuis, ac litteris illustratus non diutius modo, sed longe etiam melius, atque excellentius, quam in se ipso viuet; neque, si hanc tu prouinciam non suscipias, qui pro rei dignitate eam obeat, inueniri poterit. nam licet rudi, atque humili occultatus veste delitescas, prodit tamen in apertum, seque omnibus patefacit stili puritas, atque elegantia, cui, si quæ eloquentia Principi Marco Tullio olim tributa est, conferatur, ni tibi vni concedat, superior saltem non sit. sed plura fortaße, quam par erat, mihique proposueram, rudibus verbis enuncio. finem itaque dicendi faciens vtar ea clausula qua apud amicos semper soleo, meq; tibi omnibus in rebus, in quibus opera mea vti poteris, præsto futurum polliceor. Vale. Genuæ Sexto Kalend. Martij. MDCXIV.

RE-

REVERENDO FRATRI
Augustino à Sancto Gregorio Neapolim.

QVANTA *me lætitia affecerint litteræ tuæ, quas superioribus diebus accepi, cum de tuo statu ea, quæ vellem, mihi nunciauerint, ac de tuo in me amore, quamuis antea mihi satis cognito, certiorem tamen dederint significationem, non facile dixerim. nam cum amicorum bonis, æque ac proprijs lætamur; tum multo magis eorum, quos eiusdem vitæ, societatisque vinculo coniunctos habemus: & cum ab ijs, quos ipsi amamus, nos redamari cupimus, tum multo magis ab ijs, qui & natura amabiles, & sua nobis virtute charissimi sunt. ac ego equidem magnopere dolebam, cum te Romæ parum firma valetudine vti, & ideo fertile ingenium tuum, quod semper amaui, & incultum esse non siui, eos non ferre fructus, quos inde sperabamus, intelligerem. cum autem per tot menses nullas a te litteras acciperem etsi id accidere, quod me non amares, ne suspicabar quidem: tamen, quia amor facile se prodit, eum tamdiu latere moleste ferebam. Nunc vero cum sis Neapoli tam nobili vrbe, & amœnitate, salubritate, rerumque omnium copia maxime insigni; cumque præterea Cœnobium, & sodales tibi contigerint, qualia optabas; non modo, vt vires breui recipias, verum etiam intermissa litterarum studia ita repetas, vt, si quid in ipsis iacturæ feceris, id totum resarcias, futurum valde spero. in hanc rem omnes ingenij neruos intendere debes, dum opportunitas temporis, & occasio est; ne vtramque simul amittas, & amisisse magnopere doleas. rem difficilem esse fortasse inquies, atque laboris plenam. fateor. sed vt è spinis colligitur rosa, ita*

ex

ex laboribus ſuauiſſimi capiuntur fructus. propone tibi ante oculos hanc noſtram Auguſtinianam Familiam, quæ cum veluti generoſa vitis non tam ſe alte extollat, quam longe, lateque diffundat, adminiculis indiget, vt Admodum R. P. F. *Iacobo à* S. *Felice Vicario Generali noſtro Viro ſumma humanitate, prudentia, ac vitæ integritate prædito, optatos afferat fructus, & Eccleſiæ Dei vtilitati ſit, atque ornamento. hoc tribue optimis parentibus tuis, quibus nihil gratius facere potes: tribue mihi tui amantiſſimo, qui te iſtud magnopere rogo, vt quod nobis diſcedens pollicitus es, id optabili exitu comprobes. æquum enim eſt, vt illis obſequaris, mihi vero in amore reſpondeas. nec vtrumque facilius præſtes, quam ſi te totum litteris tradas. mihi quidem tanto quisque charior eſt, quanto magis virtute præditus eſt. quamquam non paruum, & veri amoris, & optimi amici indicium ſit, quod ad fruendum tecum ea animi tranquillitate, qua nunc ipſe frueris, Neapolim me inuites. cum verè, & ex animo nullus alterum amet, quin illius aſpectum, præſentiamq́ue deſideret; nec vere, & ex animo quisquam alterum deſideret, quin eorum bonorum, quibus ipſe fruitur, velit amicum eſſe participem.* Ego *equidem tibi non concedo, vt mei tu magis, quam ego tui videndi, & alloquendi cupidior ſim; nec me quærentem ſolitudinem, ac maris aſpectum, nouum iſtud* Cœnobium *tam delectaret, quam in alijs amantem modeſtiſſimos, ac optimos mores, magna voluptate afficeret tua iucunda conſuetudo.* Et *hoc nomine potiſſimum nauigationis incommoda libentius ferrem, quippe qui haud valde ſtrenue nauigare ſoleam. Sed id totum, vt ſcis, ex ſuperiorum voluntate pendet. cui nos, qui viuimus in* Clauſtris,

omnino

omnino acquiescere debemus; ne, si ex voluntate nostra omnia fecerimus, obedientiæ claustra refringere videamur. Et certe si vlla res est, in qua arbitratu meo omnino carere velim, locorum quidem mutatio est, cum sciam nullum esse locum tam fertilem, in quo vtilibus herbis durus aliquis rubus, & asper ferè mixtus non sit. Sed si loco, aut tempore diuidemur, coniungemur animis. nec loci longinquitas, aut longitudo temporis ita oculis meis te eripient, vt non eundem te animo meo memoria tui redditura sit, & quamuis absentes, aliquo modo præsentes futuri simus. Quod autem in his rebus, quibus. istic mihi forte opus esset, operam tuam tam libenter polliceris, ac defers, quamuis in præsentia nihil sit, cur ea vtar, maximas tamen tibi gratias ago. tu si quid hic sit, quod velis, ad me scripseris, efficiam profecto, ne curam in eo, ac diligentiam meam desideres. res quidem ipsa voluntatem æquabit; sin aliter, haud mea tamen culpa euenerit. spero fore, vt, quæ tua est humanitas, ipsa voluntate contentus rem ipsam minime requiras. Vale. Genuæ. XII. Kal. Aprilis. M DC XIV.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. D. ANTONIO SAVLIO CARDINALI AMPLISS.

ROMAM.

EGO *equidem vehementer lætor, Cardinalis Amplissime, quod in hac Augustiniana Discalceatorum Familia viuam, quodque in Sauliam iam ante admissus*

illius nunc tutela, ac præsidio magis innitar. quod vero ab humanitate tua impetrauerim, vt me in tuorum numerum exceperis, qui alteram ex ijs Familijs grauissima auctoritate defendis, alteram præclaris actionibus maxime illustras; hanc ipsam lætitiam vsque adeo cumulari sentio, vt nullo modo explicare queam. nam si erga nobilissimam Familiam Sauliam tantopere affectus sum, vt eam cum in omni sermone, tum scriptis pro virili celebrare non desinam; quo me studio affici, qua erga te obseruantia esse par est, a quo tanquam ex fonte omnis illius amplitudo, & gloria emanat? clarior ille mihi dies illuxit, quo die sæculi tempestates effugi, & cœlesti aura prosequente, in hunc salutis portum me contuli, vbi patrocinio tuo, veluti firmissima anchora tutus, nullo modo commoueri possum. hinc & beneuolentiæ tuæ colligendæ, & meæ erga te obseruantiæ declarandæ principium natum est: quarum altera, spero fore, vt in suo cursu nunquam interrumpatur, altera vero eodem fine, quo vita mea, terminetur. Ac Nicolao quidem auo meo magnas habeo gratias, qui Anno vigesimo octauo supra Millesimum quingentesimum, cum ex Senatus Consulto, in quamcumque familiam cooptari libuisset, eligendi potestatem haberet, omissis ceteris omnibus, Sauliam præcipue delegerit, tantique boni auctor mihi primus exstiterit. Septuaginta ferè sunt anni, cum ille mortuus est, fuitque peracri ingenio, optimo iudicio, summaque prudentia præditus, vt ex multis audiui, qui eum nouerunt, vtque ex ipso Familiæ delectu facile potest animaduerti. cui quidem ita addictus erat, vt, cum duplici cognomine vteretur, nulla ipsi Familiæ vel splendoris, vel gloriæ accessio fieret, quin incredibili quadam lætitia afficeretur.

ficeretur. cuius tam propensam voluntatem, quasi hæreditariam posteri ita libenter exceperunt, vt, cum ipsi Auo in deligenda Familia optimi iudicij laudem omnes tribuant, suum quoque iudicium cum illius iudicio maxime congruere vna voce fateantur. nam quamuis Genuæ complures Familiæ sint, omnes nobilissimæ, omnes claræ, atque illustres, tamen cum Deus omnia dona sua vni, & soli minime concedat; in aliqua re altera ab altera ita differt, vt cum generatim omnes laudabiles appareant, sigillatim tamen sua cuique laus tribuenda videatur. Proprium est enim Familiæ Sauliæ homines progignere, qui virtute magis, quam opibus alios anteire malunt; &, cum eorum virtutem opes etiam comitentur, quo magis opibus valent, eo magis & legibus, & rationi obtemperant, Patriæ in primis amantes, nulla ostentatione vtentes, magis boni esse, quam videri sedulo studentes. Historias euoluenti innumerabiles viri occurrent, quos ijs dotibus ornatos, & armis, litteris, ac sanctitate illustres ipsa Familia Virorum illustrium procreatrix, ac parens continua tulit, atque perpetua fœcunditate. quorum virtutem, & multorum scriptis, & præclaris monumentis Patriæ relictis claram, atque testatam nec præsentes obliuiscentur, nec posteri vnquam reticebunt. Sed nihil historia opus est, cum ob oculos posita eorum, qui nunc viuunt, habeamus exempla, quæ magis efficacia, ac magis nobis vtilia sunt. Quis tuam videat, vt ceteros missos faciam, Cardinalis præstantissime, in Deum pietatem, sedulitatem in illius Ecclesia tuenda, atque amplificanda, in Patria ornanda munificentiam, beneficentiam in subleuanda multorum inopia, in dictis denique, & factis ad exemplum veteris disci-

N plinæ,

plinæ, & ſanctitatis perfectiſſimam normam; quis hæc inquam, & alia pæne innumerabilia videat, qui vera me dixiſſe, non modo non affirmet, ſed etiam multo plura, quam quæ dixerim, me tacuiſſe non fateatur? ſed quemadmodum de ipſa Familia Saulia pauca quædam breuiter attigi, ita de te ipſo multa lubens omitto, cum præſertim ſciam te humanis laudibus non delectari, & virtutis tuæ famam proprijs innixam meritis ita per Orbem alas expandere, vt ſcriptorum auxilio non indigeat, à quibus nulla ijs immortalitas contingere poteſt, qui eam rebus præclare ante geſtis non demeruerint. illud vnum certe non tacebo eo dignitatis gradu ornatus es, qui a ſupremo ſecundum obtinet locum, & ſupremo dignum te eſſe omnes affirmant. vtinam quemadmodum Sereniſſimus Laurentius Frater tuus Dux Reip. noſtræ creatus, nouum in Familiam Sauliam intulit decus; ita tu quoque ad ſummam dignitatem euectus, in hanc ipſam illam inferas amplitudinem, qua nulla maior in terris poteſt inueniri. Aquila quidem illa ingens, ſublimis, nobiliſſimum Familiæ Sauliæ inſigne in altum ferri natura ipſa conſueuit. quod ſi, quod maxime cupio, nec minus ſpero, vnquam accideret; nulla res me impediret, quominus Romam aduolarem, & pedibus tuis obuolutus tibi præſens præſenti lætitiam meam patefacerem. nam quamuis Romanum iſtud cœlum, per quadriennium, quo illud hauſi, me annua, & periculoſiſſima febri afflixerit: tamen quia tui videndi, & alloquendi facultas mihi data aliquando eſt, omnia valetudinis incommoda, quæ pertuli, leuia fuiſſe arbitror; ac eo ipſo nomine mihi deinceps futura videntur leuiora. Interim D. O. M. precor, vt illud euenire ſinat, quod ad maiorem ip-

ſius

sius gloriam, Ecclesiæ vtilitatem, animæque tuæ salutem redundare debeat. Et quando nunc Genuæ in Patria viuo, cuius Cœlum longe benignius experior, nec diuinas virtutes tuas, coram, vt vellem ita contemplari poßum, vt in ijs, quemadmodum nunc toto animo, ita & oculis defixus hæream; hanc iniui rationem, qua desiderio meo aliqua saltem ex parte satisfacerem. ipsarum virtutum imaginem in Octauio Fratris filio assidue contemplor, qui eas ita in dies exprimit, vt, se totum ad tuum ipsius, ac Serenißimi Patris exemplum fingere videatur. quantæ lætitiæ tibi esse debet talis Iuuenis, non tam sanguine tibi coniunctus, quam virtutum tuarum imitator egregius? Nobilitati vero Genuensi quam præclarum atque illustre ad imitandum proponitur exemplum? mihi ipsi quam iucundum, & honorificum est, quod mea erga te, erga illum, totamque nobilißimam Familiam Sauliam obseruantia tibi ingrata non exstitit? quam quidem, etsi, dum Romæ eßem, semel, & iterum tibi patefecerim; hoc tamen contentus non eram, nisi quantum ingenio, atque industria consequi possem, eam apud posteros notam, atque in omne tempus testatam relinquerem. Vale. Genuæ. XIX. Kal. Iulij M DCXIV.

IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

Iacobus Monelia. S. P. D.

QVAM *pie, prudenterque fecerint maiores mei, cum istam D. Nicolai ædem a fundamentis exstructam, varijsque muneribus locupletatam Augustinianæ fami-*

liæ vestræ tradiderunt; vel hinc maxime cernitur; quod eam rem non minus ex vestro, quam ex totius Ciuitatis vsu accidisse in diem experimur. Quid ego vestram commemorem vigilantiam in animarum salute procuranda? quid diurnas nocturnasque precationes in diuini numinis indignatione auertenda? quid sacros concionatores, qui veluti è purissimo fonte istinc prodiere ad hominum animos veræ pietatis rore irrigandos? vna omnium vox est, vestram istam familiam afflictorum esse solatium, charitatis domicilium, veteris disciplinæ exemplar, virtutum omnium sacrarium. Ego quidem pias, religiosasque actiones vestras sic admiror, vt ipse quoque, ne a parentum institutis videar degenerasse, intra pectoris mei penetralia amoris, atque obseruantiæ templum vobis exstruxerim. Verum, quemadmodum in ipsis templis, tametsi cœlites cunctos venerandos certo scimus, in vnum aliquem tamen vel sanctitate, vel meritis insigniorem magis propendemus; sic à Patribus hanc veniam peto, vt in te, in te, inquam, totius familiæ præcipuum lumen, & columen ardentius, & significantius meam tester pietatem. Hoc munus quis non iure debitum fateatur? Prætereo ingenij tui monumenta, quæ extant: castimoniam, integritatem omnibus perspectam non attingo: Sileo incredibilem in rebus pertractandis prudentiam: Vitæ monita, salutaria præcepta, atque adeo oracula prætermitto: taceo quam sis in consuetudine iucundus, quam suauis, quam amabilis: hæc inquam, multaque præterea animi tui decora missa facio: Illud vnum dico, & vere dico nullas viri religiosi partes in te omnino desiderari. En ego igitur hanc tibi epistolam veluti primam facem offero, tenuem fateor, tuisque me-

ritis

ritis longe imparem, sed puram, sed veræ beneuolentiæ flammis incensam. Tu animum spectans, non muneris exiguitatem, hilari vultu illam accipe; tibique persuade me in singularibus virtutibus tuis amandis, suspiciendis, prædicandis nemini vnquam concessurum. Vale, ex suburbano nostro. Sexto Nonas Octobris.

IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

Ioannes Dominicus Monelia. S. P. D.

PAVLI *Moneliæ patrui mei imaginem intuenti mihi, mirum dictu est, quantopere animus ad virtutem, solidamque gloriam accendatur. quæ sane flamma in tenero adhuc pectore meo vsque adeo crescit in dies, vt nec ea prius sedari, nec ego mente possim conquiescere, quam ad eximiam tanti viri eruditionem, facundiam, probitatem, ceterasque animi dotes, propter quas in ore, atque in amore bonis omnibus fuit, vel proxime, vel certe non ita longo interuallo appropinquauerim. non enim mihi probantur ij, qui, propinquis vita functis, vnam ineunt fortunarum possessionem, virtutum hereditatem multo præstabiliorem non cernunt. Cum itaque inter cetera, quibus maxime spectabilis fuit patruus meus, confessione omnium in primis eluceat erga animos vera doctrina, ac religione imbutos mira quædam propensio, atque obseruantia; dum ad alia præclara eius bona per ipsius vestigia ingressus, quo per ætatem licet gradu, connitor; hoc vnum interim iam nunc exprimere, & pro viribus præstare in animum induxi, vt huiusmodi scilicet*

viros

viros non amem solum; sed colam, suspiciam, veneret; eosque potissimum, quos illi intelligo fuisse probatissimos. In quibus, cum, quem ipse locum obtinueris, Religiosissime Pater, compertum habeam, præcipuo quodam cultu te mihi amandum, atque obseruandum decreui. quam in mentem si me non compelleret tam maturi, excellentisque ingenij de te iudicium, si vitæ tuæ sanctitas, si morum suauitas, si interiorum litterarum scientia, si tua in domum nostram beneuolentia non alliceret; moueret saltem commodi mei ratio. Qui enim vnquam ad patruum decus adspirauerim sine prudentissimis monitis, sine salutaribus consilijs, sine amantissimis adhortationibus tuis? quapropter tum meam in te egregie propensam voluntatem, tum animi consilium per has tibi litteras significandum duxi; vt, quantum te admirer intelligeres; mihique incitamento, & adiumento esses ad patrui ornamenta, quæ tibi vni omnium notissima sunt, assequenda. cui quidem voto meo si annueris, vt tua mihi pollicetur benignitas, ac inueterata iam de omnibus benemerendi consuetudo, tantum tibi obstringar; vt quantæcunque mihi fient, & pietatis, & laudis accessiones, eas omnes vni tibi, secundum Deum, sim acceptas relaturus. Vale. ex suburbano nostro Sexto Nonas Octobris.

IACOBO, ET IOANNI DOMINICO Monelijs Fratribus.

QVAM *dulcis orationis vestræ concentus? quam suauis? quam iucundus? exspectabam à vobis quamdam quasi præcentionem, teneriorisque ætatis vestræ ratio-*

nem

nem habebam; sed vicistis exspectationem meam, legitimoque cantu mihi probastis in vobis virtutem præcurrere, ætatem non exspectare. ex litteris enim vestris apta verborum, & sententiarum varietate concinnis tanta sum perfusus voluptate, quanta ex multiplici vocis, vel musici instrumenti harmonia nunquam me affectum esse velim existimetis. quamquam haud sciam, an vlla suauior harmonia esse posit, quam ea, quæ in vobis oritur ex conuenientia nobilitatis cum probitate morum, & corporis formæ cum animi pulchritudine. præclara virtutis semina iecistis, ex quibus gloriæ fructum, quin aliquando relaturi sitis, minime dubito. Sed vobis maxime curandum est, vt, quod optime cœpistis, illud nauiter perficiatis, quo debitam perpetuo recte agentibus coronam reportetis. id autem facillime consequemini, si de vestra in Deum flagrantissima pietate nihil vnquam remiseritis, Paulique Moneliæ Patrui vestri memoriam in animo infixam semper habueritis. quis illo humanior? quis litterarum amantior? quis in doctos viros propensior? merito a vobis summis laudibus ornatur, quibus ille tanto dignior est, quanto ijs, quas mihi tribuistis, ego indignior sum. quamobrem litteras vestras, quod ad hanc partem attinet, legi non sine quodam verecundiæ colore, cum vester in me amor, etsi vos facundiores fecerit, oculis tamen vestris alioquin acribus, & acutis tenebras offudisse videatur. itaque cum paullulum ætate progressi fueritis, consilium fortasse uestrum ipsi damnabitis, quod huiusmodi in me laudes contuleritis. nec uero id dico, quod uestram erga me uoluntatem uos aliquando mutaturos in suspicionem ueniam. licet enim puerilis ætas ad instituendas amicitias fortasse uideri

posit

possit promptior, quam ad eas retinendas constantior: vos tamen, qui in puerili ætate senili estis prudentia, perpetuam in amicitia constantiam seruaturos confido. has igitur laudes, tanquam splendidiores exuuias, mihique fortasse breui detrahendas reijcio: amorem ipsum, qui me tantopere exornat, pari amore complector. vos igitur, quamdiu viuam, amabo fraterno pæne amore, virtutemque vestram, quæ instar exorientis solis nouos emittit radios, ipse ad Occasum vergens procul suspiciam; nouaque ista luce tenebras meas aliqua ex parte conabor illustrare. Valete. Genuæ. VII. Kalend. Nouemb. MDCXIV.

IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

Gregorius Bertolottus.

NVLLVS *licet vnquam dubitandi locus relictus mihi fuerit, Religiosissime Pater, quin aliquando pro maxima virtutis tuæ, tuique ingenij exspectatione, proque eximio tuæ familiæ splendore te singularem, præstantemque virtutis, & sapientiæ gloria virum visuri aliquando essemus; incredibili tamen prope lætitia sum affectus, cum id mihi nunciatum fuit re, & verbis accidisse, Deumque immortalem virtutem tuam amplissimæ dignitatis radijs collustrasse, cui te a primis adolescentiæ tuæ floribus, tamquam nouum semen in amœnissimis Orthodoxæ Ecclesiæ viridarijs addixisti. Incredibilis igitur, atque immensa fuit lætitiæ meæ significatio. Verum illud vnum nescio gratuler ne tibi, an Iosepho Araldo*

do erudito pariter, atque religioso adolescenti; etenim si perspiciam, quorum gratia apud me magis excellens videatur; ante oculos mihi proponitur præclarum, atque singulare eiusdem beneficium, qui, cum nondum ego virtutis tuæ radijs fuissem aspersus, ita mihi eos patefecit, vt nonnullas mihi ex tuis litteris typis mandatas largiendo animum meum ad maiores virtutis amplexus confirmarit. si vero te inspicio, video te mira conspicuum virtute, fulgentissimisque Tullianæ eloquentiæ radijs ita decoratum, vt quisque te summo in honore habeat, iustissimisque laudibus exornet. Quapropter & vtrique, & mihi pariter gratulabor, cui, cum & tua perfrui amicitia concedatur, tum etiam, cum amicorum omnia amicis sint communicanda, ex tua summa laude in me honoris aliquid redundaturum minime despero. Te igitur diuina voluntas, tuaque cœpta fortunare velit, teque ad altiores virtutis gradus, pro vt postulant tua promerita, extollat, vt duce te, tuo Ordini, tuisque amicis ad immortalem gloriam aditus aperiatur. Vale.

IN EIVSDEM LAVDEM.

SI tantos video radios, dum lumina claustris
Clauduntur, quales, si patefacta forent?
Cernere fas esset nitida te in luce micantem,
Phœbæamque tuo fronte nitere facem.

GREGORIO BERTOLOTTO Philippi filio.

QVANTOPERE *a verbis facta diſtent, & hæc illis anteponenda ſint, neminem eſſe arbitror, qui ignoret. Grauibus, ornatisque verbis me laudas, & tanquam claritatis fama conſpicuum omnibus proponis, cum ipſis tamen laudibus re ipſa minime reſpondeam, & in tenebris ita deliteſcam, vt, quid optimum ſit, nec ipſe videam, nec alijs videndum præbeam. alios progreſſus in litteris, ac moribus feciſſe me oportuit, vt is eſſem, quem me facis, quemque ab alijs haberi vis; cum mihi tamen vltra mediocritatem quamdam progredi datum non eſſe res ipſa indicet. Laboraui equidem ſemper, non vt illam, quam appellas Tullianam eloquentiam, mihi compararem, ſed vt cogitationes meas non inornate explicare poſſem; & in hoc ipſo ſtudio diligenti ſatis cultura ingenium excolui meum. verum dum aliquem laboris fructum inde me percepturum ſperabam, ipſius me fructus exſpectatio ſterilitate, atque inanitate quadam eluſit egregie. Sed litterarum ſtudia omitto. nihil enim nunc minus cogito, quam vt, quod adhuc non feci, deinceps facturus ſim; cum immutata vitæ ratione, ad alia mihi animus conferendus ſit. in hoc autem ipſo vitæ inſtituto numquid Religioſi viri officio fungor? num D. O. M. cui me totum, licet vndecima hora, addixi, vere, & ex animo ſeruio? num ſaltem illi pro tanto beneficio gratias ago? vereor enim, cum plus debeat qui plura acceperit, ne maius mihi onus, quam antea impoſuerim. quamobrem nihil mihi laudatore, ſed acri potius monitore opus eſt, cuius voce, longo veluti e ſomno excitatus,*

ipſe

ipse mihi seriò, quamuis sero consulere possim. Verumtamen, quia tuus in me amor, vt video, laudatoris partes tibi imposuit, hunc ipsum amorem complector, & amo; nihilque malo, quam vt, si laudibus longe impar meritum sit, tuo tamen in me amori meus itidem in te amor par, & æqualis omnino sit. At optimi, & modestissimi adolescentis Iosephi Araldi, qui mihi epistolam tuam attulit, & amorem detulit, mirum ad conciliandas amicitias artificium laudo: quamquam ipsius nimis propensam ad me, meaque laudanda voluntatem laudare nec possim, nec debeam. is enim si tibi vera de me narrasset, eas in me laudes profecto non contulisses, quæ, patefacta veritate, & tibi recti iudicij laudem adimere, & mihi timorem dedecoris inijcere possent. quæ quidem laudes quanto magis tibi conueniunt? tu enim nullam præstantiorem adolescentiæ commendandæ rationem existimans, quam pietatem in Deum, & litterarum cognitionem, altera quotidie magis incenderis, in altera vero non mediocriter excellis. tu his nouissimis temporibus, quibus antiquus Poetarum, & Oratorum flos exstinctus videtur, in tenera ętate maturiori ingenio, suauissimos vtriusque facultatis fructus iam affers. tu denique viam ingressus es, quæ nullo est vulgi impressa vestigio, quaque ad laudem, & gloriam aditus patet. perge, vt cœpisti, Adolescens mihi carissime, nec vlla te retardet vel Mundi fallacia, vel voluptatis illecebra. cerno iam animo, ubi cursum perfeceris, fore, ut Familia tua non tam Paterna uirtute, quam tua ipsius propria commendetur; Patria uero non magis rerum gestarum splendore, quàm præclaris ingenij tui monumentis illustretur; ipse denique eam tibi gloriam

compares, quæ innumerabili annorum ſerie uiuat, atque uigeat. Vale. Gen. Pridie Kal. Decemb. M D C XIV.

ADMODVM REVERENDO PATRI Iacobo Lambertengo è Societate Ieſu.

TAM *arctis amicitiæ uinculis cum alijs Societatis ueſtræ Patribus aſtrictus antea fui, ut, nihil arctius aſtringi poſſe exiſtimauerim: ſed multo arctioribus nunc tecum ita aſtringor, ut, illa priora laxiſsima fuiſſe uideantur. idque plane ſum admiratus, ac nunc etiam magnopere admiror. inerat in illis doctrina ſingularis; multa non deerant, quibus ad amandum allicimur; & nullus tamen eorum, æque ac tu, amabilis mihi, atque coniunctus fuit. nimirum humanitas ad animos capiendos multum poteſt; occultior uero naturæ uis ad eoſdem coniungendos plurimum ualet. utrumque in amicitia noſtra re ipſa comprobari video, cum & humanitate tua me plane deuinciri, & ſenſus meos cum tuis omnino congruere perſpiciam. quæ quidem humanitas cum ſumma generis nobilitate, ſummaque Theologiæ, ac vtriuſque Iuris ſcientia coniuncta multo quidem acrius me obſtrinxit, atque vehementius. Sed illud mirum, quod quamuis tot ornamentis ipſe excellas, ex ijs tamen laudem non aucuparis, cum & bonis externis propter Deum nuncium remiſeris, & bonis animi ad ipſius Dei laudem, hominumque vtilitatem tantummodo vtaris. Quis ſcientiæ tuæ fontem ſibi clauſum eſſe vnquam ſenſit? ille quidem ita mihi patet, vt, quidquid opis, quidquid conſilij ad me ipſum, vel alios iuuandos opus ſit, ex eo ſingulis horis haurire poſſim. nam, cum propter rei ipſius difficultatem,*

tatem, & varias Doctorum opiniones, quod ad moralem Theologiam attinet, multi sæpe fallantur, & cæcis in tenebris oberrent; ego, qui meis viribus ita diffido, vt, tutiorem in partem semper inclinem; te vnum præcipue elegi, qui me, expulsis errorum tenebris, in veritatis luce constitueres. idque tam diligenter præstitisti, & præstas, vt peritiorem ego animi Medicum, vel præstantiorem viæ salutis Ducem, quam te, nouerim neminem. itaque quod nemo præterea quærendus mihi sit, magnam sanè lætitiam, vtilitatemque capio. nam, qui crebro remedia mutat, sanitatem non consequitur; &, qui per multas vagatur vias, quò constituit, nunquam peruenit. Neminem itaque plane dixerim esse, cui me plus, quam tibi debere confitear: cum pijs hominibus nihil gratius, vtilius ve sit, quam, cum ex varijs opinionum fluctibus, in tutum, & tranquillum veritatis portum leniter prouehuntur. cuius quidem vtilitatis & alij pæne innumerabiles participes sunt, qui propriæ salutis amantes ad te concurrunt, vel consilium, vel auxilium petentes, in ijs & fortunas suas, & salutem sitam arbitrati. profecto quemadmodum in quibusdam Ciuitatibus patronus causis publice constituitur, ita in hac nostra animabus curandis, ijsque in viam rectam deducendis, ipse Medicus, & Dux publice constitutus videris; ita vt ex tua vnius vita omnium pæne vitam pendere fateamur. nullus igitur est, qui non hanc ipsam vitam tibi longiorem dari velit; immo qui non suam, si fieri possit, tibi libenter largiatur, vt animarum vitæ quæ vera demum vita est, diutius consulas. ac vtinam totum Ius Pontificium ita disponeres, & explicares, vt vnico prope intuitu posset perlustrari. non profecto paratiores in eo, ac

prom-

promptiores essemus; ipse vero quemadmodum præsentibus, ita & posteris, maxime prodesses. quod enixe a te petimus, id omnino nos impetratnros confidimus, cum præsertim in hoc opere omnium tuorum laborum fructus pæne consistat, teq́ue Virum esse prorsus ad hanc rem natum videamus. Ac Societas quidem vestra huius rei spem nobis maximam affert, cum illa veluti pia mater non tam præsentis, quam futuri temporis rationem habens, complures quotidie libros à filijs suis, in omni scientiæ genere docte, eleganterq́ue conscriptos in lucem emittat. præ manibus nunc habeo eiusdem Societatis Historiarum volumen primum, quæ ita me delectant, vt eas nunquam intermittam, nihilq́ue in vita mea legerim libentius. quodsi Deus mihi largiatur, vt, cetera Volumina iam instituta, absoluta videam, pro tam exoptato beneficio maximas illi gratias agam. quod non despero: quid boni enim non parturit Societas vestra? illa quidem ad Iuuentutem sancte, & sapienter instituendam, & ad Dei cultum augendum, & conseruandum, ipsius Dei munere Christianæ Reip. data mihi videtur. tuque illam doctrina, & prudentia ita adiuuas, vt ex laboribus tuis illius laus & existimatio non parum augeatur. Ego certe eam tanti facio, vt mecum præclare actum existimarem, si qua mihi contingeret illi inseruiendi facultas. quod si nunquam acciderit, quod proximum est, libenter faciam, vt scilicet, quantopere ipsam, teq́ue in primis amem, atque reuerear, quibuscunque significationibus possim, & tibi, & alijs ostendam. quod adhuc & diligenter præstiti, & diligentius deinceps, Deo iuuante, præstabo; mei in te amoris aliam mercedem non desideraturus, quam vt mei

semper

ſemper memineris, meque tui amantem velis redamare. Vale. Genuæ, ex Carbonaria. Prid. Idus Aprilis. MDCXV.

IOANNI BAPTISTAE PONTE.

NON *ſatis firmo nititur adminiculo Sodalitas Natiuitatis B. Mariæ Virginis, poſtea quam & Superiorum iuſſu, & Sodalium voluntate ego adductus illius regendæ, gubernandæque onus ſuſcepi. quod quidem tametſi libenter ſubierim, ita in dies graue experior, vt niſi me Deus idemtidem alleuaſſet, illud iampridem depoſuiſſem. Difficilis enim eſt animarum cura: & qui alios meliores præcœptis ſuis faciendos ſuſcipit, vt factis dicta comprobet, & ipſe perfectus, ac ſapiens ſit, neceſſe eſt. vt omittam, quod tanta ſit diuerſitas eorum, qui in via Dei ambulant, & ad perfectionis metam adſpirant, vt diuerſæ quoque inſtituendi rationes ſint adhibendæ. alia enim incipienti, alia properanti, alia peruenienti debetur inſtitutio. Illud quidem uerè affirmare poſſum, me adhuc Sodalitati non defuiſſe, nec ullo unquam tempore defuturum eſſe. omnia enim libenter amplectar, quæ ad eam ornandam, augendamque pertineant. idque ut faciam, una harum quæuis ratio me magnopere hortatur, uel Obedientia, quam profiteor; uel quod à Sodalibus me amari intelligo; uel quod ipſi B. Mariæ Virgini ſum addictiſſimus. quid præterea tàm pium, tàm religioſum, tàm utile, quàm à uitijs homines deterrere, ad uirtutem adhortari, ad æternam uitam incendere? itaque cum ſalus omnium ueſtrum mihi propoſita ſit, ac pro ea nullum ſim recuſaturus laborem, ſequitur, ut uos quoque*

omnes amem, charosque habeam, charioresque, quo meliores eritis, & magis studio summi boni incensi. Tu ipse verò, vt mihi charissimus, iucundissimusque sis, sermonis affabilitate, suauitate morum, vitæ integritate consecutus es. & cum te filij loco habeam, quia si minus natura, tibi Pater animo sum; hinc fit, vt paternè te amem, & tibi vicissim omnia timeam, carnis illecebras, Mundi pericula, Sathanæ insidias. cum præterea multis viarum ambagibus nihil quidquam magis tortuosum sit, aut erroribus magis obnoxium, quàm rerum humanarum cursus; vt cautè incedendum sit, ne amisso prudentiæ filo, labyrinthæis sæculi flexibus implicemur. Itaque quamuis omni laude dignissimus sis, tamen non tàm ad te laudandum, quàm in ipsa laude cohortandum impellor, eoque vehementius, quo ipse magis culpari metuis, quàm laudari cupias, & sine vlla spe laudis ad ipsam virtutem animum inflammas. neque vero dubito, quin ipse tibi in rectè agendi perpetuitate constes. nam cuius constans vitæ ratio est mihi notissima, illius inconstantia cur mihi sit pertimescenda? cur non potius maiora ab eo sint mihi exspectanda? sed Imperatores imitari volui, qui militum prœliandi ardorem adhuc etiam verbis incendunt. Illud in primis tibi penitus hæreat, pietatem in Deum fundamentum esse omnium virtutum. quod a te præclarè iactum cum videam, non dubito, quin singulas partes rectè sis quasi exædificaturus, vnde admirabilis surgat vitæ spiritualis constructio, & prosperè tibi procedant omnia. neque ipse tanta afflueres consolatione; non tàm Matri tuæ obsequens; non erga amicos tàm officiosus esses; neque in rebus prosperis, vel aduersis tàm moderatus, & constans, nisi tibi Deus adesset, qui actio-

nes

nes tuas vnus moderatur, ac regit. hinc euenit, vt in consilium cogitationum tuarum timorem Dei semper adhibeas; virtutis possessionem tanti æstimes, vt præ ea cetera contemnas; & nihil labores, quid homines de te loquantur, aut cogitent, sed a te ipso pendeas, & in optima conscientia omnia posita habeas. Ego equidem miserius nihil esse existimo, quàm a vulgo pendere, qui in iudicandis rebus opinione magis ducitur, quàm veritate. Vbi enim veritatem opinio vincat, nihil ibi inesse boni quis ignorat? nec illud in tuis laudibus postremum duxerim, quod in eligendis amicis ita cautus, & diligens sis, vt nisi optimos, & probatissimos eligas, his præsertim temporibus, quibus paucos inuenias, quorum consilio adiuueris, paucissimos vero, ne dicam nullos, quibus pectoris arcana tutò committas, aut quorum auxilio vtaris. quod autem in amicorum consuetudine tàm comis, & facilis sis, & pro temporis opportunitate, dulcibus eam colloquijs, facetijsque condias, id quoque nemo non laude dignum magnopere duxerit. Si quidem non est animus assiduo labore intendendus, sed honesto otio interdum relaxandus, vt hæc alternantes ad ipsos labores perferendos alacriores reuertamur. qui quidem labores tanto tibi leuiores videri debent, quanto maiora ex ijs Matri tuæ commoda comparas, quæ maxima afficitur lætitia, cum te videat alacri, libentique animo regendæ domus ita secum munus sustinere, vt domesticam rem à Patre relictam industria, & labore augeas, atque conserues; operamque des, ne, si paterna mors vobis mœrorem, doloremque attulerit, ipsi domesticæ rei damnum attulisse videatur. Præclarum quidem vitæ genus instituisti, in quo te perseueraturum, & ex eo hæc te bona laturum

 confido.

confido. quietè, & tranquillè viues; ex temperante adoleſcentia corpus firmum, & integrum ſenectuti trades; & paratior eris, atque promptior, cum te Deus ex hac miſerrima vita ad ſe vocauerit. miſerrima, inquam, cum planè nihil ſit, quod nos hoc tempore ad viuendum inuitet; cum armis omnia perſtrepant; cum litteræ omnino iaceant; cum diuitiæ, quæ virtutis inſtrumenta eſſe deberent, ſeges vitiorum ſint, atque materies: vt nihil de Cœli intemperie, ac terræ ſterilitate dicam: vt omnium fraudes, odia, atque cædes, quæ vbique maximè vigent. quamobrem his malis relictis, ad illam cœleſtem Patriam omnibus bonis circumfluentem citato gradu properemus, ad quam cum vna, & ardua via ſit, ipſe tibi Dux, ipſe PONS eſſe debes, vt multò breuiore, & certiore itinere ad eam peruenias. Vale. Genuæ ex Aedibus. III. Kal. Nouemb. MDCXVII.



IOAN-

IOANNIS NICOLAI SAVLII CARREGAE GENVENSIS.

EPISTOLARVM LIBER SEXTVS.

ADMODVM RR. PATRI FRATRI FABIANO FRAVEGAE GENVENSI. EREMITAE AVGVSTINIANO EX CONGREGATIONE Sanctæ Mariæ Consolationis.

SAONAM.

QVAS *in itinere ex Trioria Genuam rediens molestias pertuli, leues sanè fuisse arbitror præ ea voluptate, quam ex nostra nuper instituta amicitia solidam capio; cum illæ iam planè præterierint, hæc vero perpetua, vt opinor, futura sit. nam, cum istuc iter haberem, & ab istis Patribus ita exceptus essem, vt nec hospitium melius, nec hospites meliores inuenire potuissem; ipse in primis ita me tibi deuinxisti probitate, modestia, humanitate, vt non alius mihi quisquam te ipso charior sit. Cum autem*

maxima aeris perturbatio, frequentioresque de Cœlo pluuiæ omnem nauigandi facultatem adimerent, bono animo vt essem hortatus es; mihique mœrore pænè confecto omnibus in rebus te auxilio affuturum non spopondisti modo, verum etiam re ipsa præstitisti; vt nec opera, nec consilium, nec labor vnquam tuus vlla in re mihi defuerit. his sanè de causis ad te amandum satis incensus sum; quibus cum accesserint amor Patriæ, quo nihil facilius animos coniungit, & vincula Religionis, quæ in dies arctiora fiunt, multo etiam vehementius sum inflammatus. Militamus siquidem omnes in hac Christi militia sub egregio illo Antesignano Patre nostro Diuo Augustino, externis quibusdam ritibus discrepantes, re ipsa tamen mirifice congruentes. Itaque vbi primum in Patriam reuerti, illicò promisso satisfeci, & Epistolarum librum ad te misi, quem abiens me missurum pollicitus sum. Nam cum tu in meis rebus tam diligens fueris, me in tuis negligentiorem esse minime conuenit. Qui quidem liber cum tibi gratissimus fuerit, maximum omnino fructum tulisse mihi videtur diligentia mea. Non enim illos imitari placet, qui ita ingrato animo sunt, vt, cum beneficium acceperint, nihil de referenda gratia cogitent; adeo vt, quisquis illis gratificatur, operam nusquam peius potuerit collocare: sed promerentes optime amo, & obseruo; optime de me meritos officijs prosequor, cum hoc eorum in me amori, illud eorum virtuti facilè concesserim. Occasionem igitur mihi offerri cupio, in qua meam erga te beneuolentiam, & erga Familiam vestram obseruantiam declarare possim, & oblatam auide arripiam, vehementerque gaudebo. Quam quidem Familiam cum antea probarem, atque etiam laudibus

ornarem;

ornarem; tum multò magis eam probo, atque laudo, postea quam illam erga peregrinos homines tam amicam, & beneuolam sum expertus. Ac vt habeas aliquod mei erga te amoris certius argumentum, te ad virtutem, ad decus, ad veram laudem cohortabor: quamuis tibi magnos in ijs progressus habenti gratulatio potius debeatur, quam cohortatio. In primis quid Deo potissimum debeas, & tibi ipsi, ac proximis, diligenter tibi considerandum est; cum viri Religiosi officium Viro Religioso negligere turpissimum sit. Obedientia tibi præcipue seruanda est, & Superiorum iussis, vt filium bonum optimo parenti, audientem esse oportet; cum obedientia Religiosis Familijs veluti ianua sit, qua effracta, & reuulsa tantis illæ ruinis patent, vt nullo modo subsistere satis queant. Quidquid oneris tibi impositum erit, quanto alacriori animo illud subieris, tanto leuior labor erit, maioremque tibi lætitiam pariet. Contemplationi denique tibi iugiter insistendum, cum illa viro Religioso anima sit, sine qua nullo viuere pacto potest. Hæc quæ scripsi, superuacanea fortasse fuerunt, sed eo lubentius scripsi, quod ea mihi quoque plurimum profutura intelligebam. Animus enim tuus mihi iam satis spectatus est: scio tibi ante oculos propositos esse Fabianum Clauarium. D. Matthæi Abbatem, qui de Cambijs egregie scripsit, & B. Baptistam Pogium istius Congregationis Auctorem, ambos Genuenses, quorum alter doctrina, & sanctitate floruit, alter pietate in Deum, & charitate in proximos maxime enituit. hos tibi imitandos existimas, vt eam gloriam, quam multis virtutibus partam sibi, & posteris reliquerunt, per summos labores non modo conserues, sed etiam augeas. quod te præstare cum intellexi antea, tum multò

certius

certius deinceps intelligam, si de studijs tuis, deque profectu spirituali lætiora in dies ad me perscripseris. quas enim proxime accepi, & quia tuam in me voluntatem apertius significabant, & quod ingenuè, ac simpliciter scriptæ erant, mihi iucundissimas fuisse scias velim. Ego quamquam tum officio Vicarij, quo fungor, tum illo Triorienſi negotio quotidie ferè distinear, è medijs tamen occupationibus ad te scribendi tempus eripiam; & de profectione mea, cuius consilium in aliquot dies abieci, non committam, vt aliquid ignores. cum illud interea pro certo habeas velim, me quemcumque locum mutauerim, quascunque rerum varietates tulerim, animum erga te meum, qui amicitiæ nostræ perpetuitatem spectat, nunquam esse immutaturum. Vale. Genuæ. Kalend. Decemb. M D C XVI.

CAMILLO, ET ALEXANDRO Pallauicinis Fratribus Ioannis Andreæ Filijs.

Tertivs *ferè agitur annus, adolescentes nobilissimi, ex quo ad D. Nicolai religionis causa vos contulistis; & ego mirifica indole vestra impulsus, vos amare cœpi, & amabiles cognoui. verum quamuis beneuolentiæ erga vos meæ mihi conscius essem; tamen quomodo eam vobis probarem in tam tenera ætate constitutis non planè videbam. cum ætate postea virtus vestra simul accreuit, & mea pariter erga vos beneuolentia magno incremento aucta est, adeo vt eam omnibus notam esse vehementer cuperem, atque testatam. hoc mihi cogitanti perbelle cecidit, vt proximis superioribus diebus iterum*

rum ad nos veniretis; & virtus vestra, quam animo contemplabar, clarior oculis meis se se offerret. quæ cum eò, quo mea sponte propendebam, ipsa me impulerit, ad vos scribendi tempus maturius haud exspectandum duxi. idque eo lubentius feci, quo gratius futurum intelligebam Iosepho Araldo adolescenti optimo, atque humanissimo, qui sæpe mecum, vt ad vos scriberem, accuratè egit: promeruitque, ne quid vnquam à me petat, quod ego possim, quin illud statim obtineat. is profectò vos amat, obseruatque vehementer, ita vt, vno me excepto, qui ei minime concedo, alios quidem omnes facilè vincat. Vobis igitur magnopere gratulor, quod in tantis errorum tenebris, quibus est hominum vita referta, veritatis lucem agnoueritis; quodque adolescentes cum tales existatis, quales vos esse oportet, qui Viri, confirmatam iam, & corroborata ætate futuri sitis, clarè ostendatis. nam, vbi animus semel ab adolescentia se virtutis amore deuinxerit, reliquæ vitæ partes similes consequentur: & quem semel accepit odorem ex pretioso liquore sincerum vas, eum postea nunquam amittet. Vos scitis, quam pauci sint, qui cum ex ephæbis excesserint, & paullo liberiorem viuendi licentiam nacti fuerint, ab antiqua Maiorum virtute non degenerent; & Patriæ, Familiæ, existimationis denique suæ obliti non se totos voluptatibus dent, & inanibus rebus ducantur. horum more, atque exemplo vos victuros nunquam esse, sed potius operam daturos, vt quod rectè incipiendo virtuti dedistis, id perseuerando constantiæ tribuendum existimetis, magnopere confido. Vobis ingenium, valetudo opes non desunt: Parentes habetis optimos, vestrique amantissimos, Ioannem Andream Pallauicinum, & Dorotheam

theam Nigronam, ex quibus exempla vobis ſumere licet ad omnes virtutes exercendas præclariſſima. qui cum vos omni laude ornatos eſſe velint, non labori, non ſumptui parcunt, vt res ipſa voluntatem conſequatur. Itaque cum Thadæum Riccium, & Nicolaum Michaelium viros probitate, & doctrina præſtantes, dignos iudicarent, quibus vos litteris, & moribus expoliendos committerent, nihil potius habuerunt, quam vt eos omni cura, ac ſtudio ad hoc munus accerſerent. quod illi quidem tantò diligentius præſtant, quanto magis ſperant fore, vt vos ſuam illuſtretis diſciplinam, ipſi vero diligentiæ ſuæ vberiores in dies capiant fructus. Felici veſtro contigit fato, vt vobis vndique ſuppetant ad gloriam adiumenta. euoluite Annales. multos reperietis de nobiliſſima Gente veſtra præſtantiſſimos Viros, & imitatione digniſsimos, quorum egregia merita omnis poſteritas admirabitur. inter quos præcipue gratam, & iucundam memoriam habet Thobiæ Pallauicini Aui veſtri clariſsimi Viri nomen, non tam propter ædificiorum magnificentiam, quam propter amorem in Patriam, & Ciues, de quibus ita meritus eſt, vt quamuis ille iampridem mortuus ſit, omnibus tamen viuat, ſitque ſemper victurus. Videte nunc à quibus Viris originem ducitis. quaſi neceſsitas quædam vobis imponitur, vt per eam viam, quam vobis Maiores veſtri veſtigijs ſuis tritam reliquerunt, ad eorum gloriam perueniatis, aut aliam ipſi tentantes maioris gloriæ amplitudinem poſteris relinquatis. Difficillima quidem res. Sed difficillima vobis, & optima molientibus aderit Deus, cuius quæ ſit voluntas, quidque a vobis ille poſtulet, atque exſpectet diligenter eſt vobis attendendum, vt inter diuerſa vitæ genera

illud

illud eligatis, quod illi gratius, vobis vtilius, & gloriosius sit futurum. Non enim idem omnes vitæ genus delectat. alij litterarum scientiæ, alij rei militari operam dant. sunt qui in honoribus, Reque publica libenter versantur, non desunt, qui honestissimnm otium molestissimis negotijs anteponunt. Vos interim, vt facitis, litterarum studia colite, in quibus plus præsidij esse ad bene beateque viuendum, quam in ipsa natura, nemo infitias ierit. In densa nocte essemus, nisi litterarum luce vita nostra collustraretur. qua quidem luce quia multi carent iam vita functi, ideo eorum nomina idem tumulus obruit, qui corpora contegit. & quia ex ijs, qui nunc viuunt, pauci sunt, qui litteris exculti sint, ideo Doctorum Virorum pænuria laboramus, & multos rudes, & incultis moribus videmus. libri vero non vobis strictim attingendi, sed attente legendi sunt, & ad lectionem scriptio adiungenda, vt vtriusque rei ratio extet, & à vobis tempus vtiliter traducatur. quid enim ad scribendum requiritur, quod vobis abunde non adsit? quæ amœnitas, quæ salubritas desiderari vnquam potest, quam vobis non suppeditet Suburbanum vestrum ad D. Bartholomæi tam amplè, tam magnifice exstructum, vt illud admirari potius, quam æmulari aliena possit industria? Vita, quam viuimus, breuis est. sed hac breuitate non contenti, agendo, scribendo eniti debemus, vt, quanto vita breuior est, tanto nostri memoria longior sit. litteratos homines amate, amplectimini, & eos præsertim, per quos proficere, & a quibus virtutem accipere vobis contigit, nec eorum consuetudinem imitemini, qui eos, quos in adolescentia Duces in litteris habuerunt, cum ad prouectiorem ætatem peruenerint, contemnunt, atque despiciunt. Et quia

valde diuites estis, quanto ditiores, tanto cautiores esse debetis in appetendis, vtendisque diuitijs. Honesta acquisitio, & rei familiaris amplificatio laudatur, non turpis quæstus, & auaritia. illa est hominis ingenui, & liberaliter educati, hæc contempti prorsus, atque abiecti. Thobias Frater vester natu maior, cui in Sanctissima Carmelitarum Discalceatorum Familia Ioanni Francisco à Iesu Maria nomen est, quanta animi altitudine diuitias contempsit? quanta alacritate pro Christi nomine paupertatem elegit? sed non omnes viuimus in Claustris. in vobis nititur Familiæ dignitas, spes Parentum. hic igitur ita viuite, vt illam augeatis, hanc vero felici exitu comprobetis; & post eum vitæ cursum, quem vel temperantia, vel natura dederit, meritis circumfluentes, & gloria, in æternas Beatorum Sedes recipiamini, vbi immortalem vitam degatis. Valete. ex ædibus. XI. Kal. Februarij. MDCXVII.

ADMODVM REVERENDO
D. Ioanni Baptistæ Caluo. I. V. D.

MVLTIS *quidem, grauibusque nominibus ornatissimo Adolescenti Iosepho Araldo me debere profiteor; sed nullo æque graui, atque illo, quod ipse operam dederit, vt amicitiam tuam consequerer. nam, cum ille tibi de mea erga litteras, & litteratos homines propensione narrasset, aliqua mei conueniendi cupiditate incensus es: ego vero, cum idem mihi de mirificis tuis in omni genere litterarum progressibus, deque tua in litteratos homines præstanti humanitate significasset, amicitiæ tuæ desiderio ita sum inflammatus, nihil vt senserim ardentius.*

cui

cui quidem desiderio cum ipsa humanitas tua abundè satisfecerit, tantam concepi animo lætitiam, vt quoniam ea haud contineri potuerit, foras vt erumperet, necesse fuit. Ac sanè diuinitus factum esse existimo, vt quo tempore de Seraphica Virgine Catharina Senensi, quam mihi aduocatam elegi, aliquid scribere cogitarem, eodemmet tempore litterarum ad te aliquid exarare animum inducerem. cui enim ad pietatem magis propenso, & eidem Virgini magis addicto, quam tibi, de ijs rebus, quæ ad illius Sanctissimam vitam pertinent, edisserere possem? quamobrem te rogo, vt omissis paullisper Iuris Pontificij, Cæsareique studijs, in quibus excellis; posthabitis etiam Clarorum Virorum congressibus, qui amicitia tua vehementer delectantur; dilata denique multarum litterarum scriptione quibus ad Proceres, Purpuratosque Patres quotidie rescribis, hanc epistolam legas; & ad ea, quæ in ipsa scripta sunt, animum aduertas. Multos quidem Viros tulit Vrbs Senæ, qui in Sanctorum numerum relati sunt; sed nullum tulisse aut cœlestibus donis ornatiorem, aut sanctitate celebriorem, aut Dei familiaritate admirabiliorem ipsa Catharina Virgine verè dixerim. quæ cum vel puellula externo corporis habitu omnibus amabilis esset; & interno mentis affectu Deo tantopere placeret; certè diuini aliquid, quod intus lateret, foris præseferebat. Vestigium vix imprimere, vix fari incipiebat, cum diuino iam ardebat amore, quem illi Deus inspirauerat, quippe qui eam sibi sponsam consecrandam, dedicandamque elegerat. in Deo illius spes, opesque omnes sitæ erant. vel eo præsente se se oblectabat, uel absentem desiderabat. fruebatur sæpissime illius conspectu in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quod

pro suauissimo cibo habebat, eoque quotidie reficiebatur, ita ut nullam naturalis cibi suauitatem sentiret, quo multos etiam menses carere consueuerat. & ipse Deus in eius corde habitabat, quia mente, & animo purissima erat; & corpore in terris degens, animo tamen uersabatur in Cœlis. Contemplationis dono fuit insignis. illa sæpe orans in aerem sublimis eleuabatur. Sæpe immota iacebat sine mente, atque sensu, ut pænè mortua uideretur. uberrimos autem fructus ex contemplatione percipiebat. illius enim mens quanto altius, & excelsius appropinquabat Deo, ac se uiciniorem splendori lucis eius obijciebat, tanto magnificentius, & clarius eius lumine radiabatur. hinc multos scientia antecedebat, tametsi litteras non didicerat; scientia, inquam, non humanitus acquisita, sed diuinitus infusa; non a libris petita, sed ex ipsius Domini Saluatoris pectore hausta. hinc etiam prophetiæ dono pollebat, ita ut ea non modo, quæ facta erant eloqueretur, sed quæ erant futura, sciret, & præuideret. neque vero propriæ consolationi tantummodo indulgens, quæ sua erant, cogitabat, atque quærebat; sed ad animarum salutem se se conuerterat; & ad eam procurandam cum domesticos fines angustos existimaret, vniuersum pæne Mundum mente, & animo comprehenderat; totumque, si opus fuisset, vel nudis pedibus libenter peragrasset. Nam licet a publicis rebus curandis sexus, & inualetudo eam auocarent; tamen, & quia Deus opera illius ad renouationem Ecclesiæ, totiusque Orbis salutem vti volebat; & quia valde indiligentes erant ij, quos hæc omnia curare oportebat; diuinæ voluntati obtemperandũ; & aliorũ indiligentia sua diligentia occurrendũ existimauit. Infirma ferè sẽper vale-

tudine

tudine fuit : ſed tantum abeſt, vt corporis infirmitas vim animi reſtringeret, vt etiam quanto corpus infirmius, tanto illi animus acrior, & vegetior eſſet ad caritatis officia exercenda, in quibus illa ita diligens erat, vt ne nocturnum quidem ſibi tempus ad quietem relinqueret; ſed proximorum curam ſaluti corporis anteferret. Errantes reducebat; labantes confirmabat; cadentes erigebat. quis illius præceptis non commutabatur? quis adeo ferus, vt non manſuefieret? quis non alius, quam venerat, reuertebatur? ſola omnium erat remedium; commune omnium erat perfugium. certè quod Florentia Interdicti percuſſa gladio, Summo Pontifici reconciliaretur; quod Pontificia Sedes Auenionem tranſlata, Romę, vt antea, collocaretur; quod denique Eccleſia Dei maxima Schiſmatis perturbatione iam diu fluctuans in tranquillo, & tuto ſiſteretur; huius Virginis pietati potius, atque ſanctitati, quam aliorum virtuti, atque conſilio eſt aſſignandum. neque illos, quos in vita iuuerat, in morte deſeruit; ſed quanto ipſa Deo vicinior, tanto illis præſentior erat. quæ quidem mors extremus veluti actus cæteris vitæ partibus ſanctiſsimè peractis conſentanea fuit. in imaginem enim Chriſti Cruci affixi oculis defixis, ea loquebatur, quæ humanam intelligentiam ſuperabant. identidem ſanguinem repetebat, illum videlicet ſanguinem, qui pro ſalute hominum effuſus, dubium non eſt, quin Deum adiutorem, deprecatoremq́ue habeat. percutiebat pectus, & de multis ſe accuſabat, ac cœleſti ſponſo pro adſtantibus ſupplicans, quibus ſalutaria conſilia dederat, cum ipſo dulciſſima colloquia habens, ad illius ſuauiſſimos amplexus euolauit. Ad illius ſacrum corpus non tam odoribus fragrans, quam miraculis coru-

ſcans,

ſcans, incredibilis hominum multitudo concurrit; amiſſam Virginem lacrymis requirunt; & cum ea ſimul vitam amiſiſſe fatentur. Felix quidem Vrbs Senæ, quæ talem edidit partum. Felix etiam Roma, quæ tantum in ſinu retinet pignus. O ſi mihi daretur ad illius ſepulchrum aſſiſtere, quas tunc lacrymas, quæ tunc oſcula illi darem? quam libenter illud mihi domicilio eligerem? ſed quando hoc non licet, illud ſaltem liceret, cubiculum illud ſcilicet amplecti, oſculari, in quo ipſa habitaſſe dicitur, dum Genua iter habens Auenionem peteret Omnia enim, quæ huius Virginis memoriam mihi afferre poſſunt, libenter perquiro; & pictam illius imaginem mecum ſemper habeo ſingulis horis conſpiciendam. qua quidem quomodocunque expreſſa ita delector, vt, cum in ea ipſam Virginem contemplor ſiue ſacra ſtigmata accipientem, ſiue cor ſuum cœleſtis ſponſi corde commutantem; ſiue diuino coniugio ſe promptam exhibentem; ſumma voluptate perfundar, pari vtilitari coniuncta. Reſtat nunc, vt ad hoc clariſſimum Cœli lumen, & ampliſſimæ Prædicatorum Familiæ ſplendorem, & decus oculos conuertamus; eamq́ue aſsiduè rogemus, vt de loco illo tranquilliſsimo nos incerto ſalutis exitu, cæcis in vndis miſerè errantes reſpiciat. ſit nobis portus, & requies, cum in ea ſit ſpes tanta ſita ſalutis. vt nos non deſerat, ne pereamus, ſed nos adiuuet, vt ſalui ſimus: cum adiuuare nos poſsit, tanta illius ſanctitas eſt, & cum ſanctitate poteſtas. Sed longior fortaſſe fui, quam ſtudia patiantur tua. ea igitur per me, vt repetas licet, & Primarijs quoque Viris conſuetudinis, & eloquentiæ tuæ, vt conſueſti, copiam facias. Non enim exigua eſſet iactura, ſi aut ipſis ſtudijs deeſſes, quibus te ipſum, Familiam,

Pa-

Patriamque illustras; aut amicis te subtraheres, qui ex sermonibus, & epistolis tuis maximam percipiunt vtilitatem. Ego equidem satis habebo, si locum dederis mihi inter eos, qui tibi aliquando in animo adsunt; huic vero epistolæ inter ea, quæ non omnino tuis ab oculis absunt. quam quidem nulla alia de caussa ad te scripsi; nisi vt illa sit meæ erga te voluntatis pignus, quod in dies arctius obstringatur; pietatis vero meæ in Diuam Catharinam Senensem perenne monumentum. Vale. Genuæ ex Aedibus. Kal. Aug. M DCXVII.

IOANNI FRANCISCO BALDO.

BELLVM *quantumuis crudele inferat hominibus antiquus ille hostis: optimis eos armis paratiores inueniet, quam vt vllo modo vinci possint. verum nulla armatura melior contra eum potest inueniri, quam Beatissimæ Mariæ Virginis patrocinium. Extulerat caput successu tumens callidus ille serpens, posteaquam Euam infecerat. Sed ex quo illud ei per Mariam Virginem contritum est, ita debilis iacet, vt nullos nisi sibi adhærentes acerbitatis suæ viru possit inficere. Illius igitur auxilium tanquam remedium valde efficax aduersus tam venenati serpentis pestiferos afflatus, merito imploramus. Sed si tempus vllum datum fuit hominibus per eiusdem Virginis merita a Deo impetrandæ veniæ, consequendæ salutis; nunc certe opportunissimum datur, posteaquam ipsa. B. Virgo, cui in Cœlo celsissima sedes est, in templo, quod a Vineis appellatur, suam mirabiliter dignata est opis præsentiam declarare. Duo quidem templa extra Vrbem habemus Sanctæ Mariæ Coronatæ vnum, eius-*

dem de Monte alterum. Sed ea longius absunt, quam vt commode adiri, frequentarique possint. inter alia vero, quæ Vrbis ambitu continentur, illud quidem à Vineis antiquitate magis, quàm cultu, aut religione præstabat. nunc autem tanta hominum frequentia celebratur, vt non illius antiquitas maior, quàm sanctitas, atque religio sit. Hic ardentiori pietatis studio ipsi Mariæ Virgini preces fundimus. Hic illa nobis munificentiori manu Filij sui dona distribuit. In quo quidem templo, cum multa laudanda sint, tum in primis concio illa, quæ de huius Virginis laudibus singulis diebus Sabbati habetur, & admirabilis titulorum series musico modulata concentu, quibus eam inuocamus, nunquam satis laudari potest. Illud vero Virginis simulachrum è marmore quantopere intuentes ad pietatem excitat? optimum quidem exemplar animo comprehensum artifex habuit, nec minus artificiosas ad illud perficiendum manus admouit. Sic est in Virginis vultu mixta Virginitati animi submissio, amori reuerentia, vt ex ijs amabile nescio quid, & admirabile oriatur, quod maxima lætitia, & admiratione homines afficiat. Cui quidem simulachro cum Sacellum ædificari institueretur, tanta Virorum, ac mulierum multitudo confluxit lapides, & cæmenta portantium, vt illius perficiendi desiderio omnes vrgeri, & omnes tàm pium hoc opus vrgere viderentur. res quidem pulchra visu, & admirabilis fuit; at illa pulchrior, & admirabilior, cum omnes ferè hominum Societates, & Ordines ad hanc ipsam Virginem concurrebant aliquod ei donum deferentes, suam, vt poterant, pietatem testantes. vt, admirabilem illam celebritatem omittam, quæ per multos dies totam Vrbem occupauit, cum in eodem

templo,

templo, eidem Virgini eſt aurea impoſita corona, & feſtis ignibus, lætiſque plauſibus collucebant, reſonabantque omnia. Quæ quidem officia illi grata exſtitiſſe, vel ipſi muti parietes, in quibus tot donaria, votiuæque tabellæ ſuſpenſæ viſuntur, abundè teſtantur. quamquam tanta eſt magnitudo beneficiorum, quæ ex ea quotidie accipimus, vt, ne minimam quidem partem, vel omnibus ei tribuendis honoribus, vel exhibendis obſequijs, aſſequi poſſimus. Nunquam illa de nobis vel indignis eijcit animum matris. & quia tanto eſt potentior, quanto benignior, cum filiorum miſeretur, tum illis omnia impetrat à Deo. Quis unquam ab hac Virgine fruſtra auxilium petijt? quis vnquam ſpe deceptus eſt, qui in ea ſpem collocauit? quis non maiora accepit bona, quàm quæ ſperare auſus ſit? Felix Genua, ſi illud ſibi perſuaſerit nulla re magis tutas reddi ciuitates, florentesve, quàm ſi in eis Beatæ Mariæ Virginis vigeat cultus. Felicior vero, ſi theſaurum tàm magnum, tamque præclarum nullo vnquam tempore amiſerit. Memoria certè Patris Fidelis à Sancto Germano Capuccini Concionatoris egregij, qui tàm ſalutaris operis fuit inuentor, perpetuò vigebit. nec vllus templum illud aſpiciet, quin huius Patris ſtudij, laboris, diligentiæ teſtis, & præco futurus ſit. id enim facere conſueuerunt homines, quibus in ſummi Dei obſequio, non modo ſua, ſed aliorum etiam ſalus curæ eſt, vt, quocunque ierint, ibi pium aliquod inſtitutum relinquant. Ego equidem in animo meo neſcio quid ineſſe ſentio, quo me plus, quam cetera omnia, hoc templum delectet. &, cum in eo, huius Virginis laudibus interſum, in earum contemplatione defixus, ita ſuauiter afficior, vt, miſtis lætitia lacrymis, Angelico con-

centui mihi videar interesse. O si viueret P. D. Benedictus Clericus Regularis iuuenis æque pius, ac doctus Frater tuus, pro sua in eamdem Virginem incredibili obseruantia, quanta lætitia perfunderetur? quamquam multò magis nunc ille lætatur, cum huius Virginis præsentia fruatur in Cœlo. quæ quidem res aliquanto minuit dolorem illum, quem ex illius præmatura morte omnes accepimus; tuque præsertim, Ioannes Francisce, cui ille frater erat, & huiusmodi frater, quo non alter amabilior, nec ab alio fratre magis amatus. &, quemadmodum moribus pares eratis, ita pietate erga Deum, & Deiparam Virginem vterque pariter excellebat. ex hoc tàm firmo a te iacto fundamento, nihil non laude dignum, nihil non admirabile potuit excitari. hinc ille constans & æquabilis vitæ modus: hinc summa grauitas, cum pari humanitate coniuncta: hinc illa incredibilis modestia, & beneficentia, quam pro facultatibus libenter exerces. & ijs non contentus ornasti pectus litterarum studijs, vel quibus ad humanitatem informamur, vel quibus rerum causas latentes exquirimus. & in ijs temporis tantum haud ponis, vt negotijs tractandis, vel curæ rei amplificandæ vllo modo desis. non quod nimia cupiditate habendi tenearis, sed vt inter æquales honestè viuas, litteratos homines foueas, & in pietatis officia totus incumbas. itaque non solum diues existis quod assequuntur multi, sed etiam diuitijs sapienter vteris, quod paucorum hominum semper fuit. non igitur mirum, si tibi cuncta prosperè succedant; & maiores in dies accessiones fiant opum, honoris, existimationis. quod acceptum Beatissimæ Virgini Mariæ, quam vnicè diligis, meritò refers. Cuius laudes celebrandi, cum pium illud opus

maxi-

maximo me desiderio inflammasset, te potissimum, cui hæc pauca perscriberem, mihi dari optabam. quæ cum longiorem desiderent orationem, ad totam historiam scribendam, cum per occupationes licuerit, animum fortasse adijciam. Hoc interim, quidquid est, summatim perscriptum libenti animo accipias velim, testimonium futurum obseruantiæ erga te meæ iampridem aliqua epistola debitum, & nunquam persolutum; pietatis vero meæ erga Beatissimam Virginem Mariam aliàs persolutum, & tamen semper debitum, & deinceps nunquam non persoluendum. Vale.

IVLIO CAESARI IOANNINO: Romam.

AMOR *in te meus silere diutius non potest. qui quamuis idem sit, ac semper fuit; tamen tam diuturni silentij impatiens illud me rumpere tandem coegit. tibi igitur intimo mentis sensu salutem impertio, meque & corpore, & animo valere, tua causa omnia cupere, facile præstaturum quidquid possum, & valeo, omni asseueratione affirmo. te eodem erga me animo esse multis argumentis sum expertus. manet igitur amicitia nostra, mansura vsque ad mortem. eaque coniungimur, quamuis locorum interuallo disiuncti. Sed huius epistolæ non tàm causa fuit silentium vtriusque nostrum, quàm laudabilis rei desiderium; quæ cum penes te sit, eam me facile habiturum confido. nam cum istic essem, teque domi tuæ conuenissem, vidi iu cubiculo tuo picturam non minus pulchram, quàm vtilem, effigium scilicet Thomæ Mori, quem Henricus Octauus Angliæ Rex crudelitate*

inflammatus cupiditati suæ aduersantem occidi iussit. quam quidem effigiem cum ab homine Anglo accepisses, eam veræ consimillimam esse existimabas. illius igitur exemplar, in decima sexta, vt aiunt, folij parte, designatione tantummodo adumbratum, non coloribus expressum, ita, vt, quilibet Pictor vel vna hora extremam manum possit imponere, vt, ad me mittere velis, te etiam, atque etiam rogo. Multi enim sunt anni, cum ex Nicolao Sandero, qui de Schismate Anglicano scripsit, Ioannem Roffensem Cardinalem, & Thomam Morum martyrij gloria claros, ac Reginaldum Polum itidem Cardinalem martyrij cupidissimum, in summa veneratione habeo. quorum constantiam si quis non admiretur; & eorum morti non illacrymetur Sanderum legens, durus, ac ferreus sit, necesse est. De imagine igitur mentis Thomæ Mori ex ipso Sandero iampridem noueram; de corporis effigie ex te ipso nouisse magnopere lætor: cum illa nihil consideratione dignius, hac nihil aspectu pulchrius esse possit. Et quoniam, librum te legisse dixeras, cui Titulus est Tres Thomæ, quos Aquinatem, Canturiensem, & hunc ipsum Morum esse existimo; si operam dederis, vt, quemadmodum in Summario Constitutionum Societatis Iesu, cuius desiderio ardebam, mihi satisfecisti, in hoc etiam libro, mihi satisfacias, præterita beneficia, vt soles, nouis beneficijs cumulabis. quæ quidem beneficia, vt, quantum tibi debeo, omnes intelligant, alijs libenter prædicabo. tametsi id minime spectas, cum studio placendi Deo, non ambitione permotus benefacere consueueris. qua animi moderatione cunctis amabilior es, sicut vitæ integritate, atque doctrina dignissimus Paulo Aemilio Ioannino Episcopo de Monte

alto,

alto, Fratre tuo Viro optimo, atque doctissimo. faxit Deus, vt, quemadmodum ille ex longa peregrinatione in illam Cœlestem Patriam feliciter peruenit, nos quoque eadem felicitate vtentes in eam ipsam Patriam tandem admittamur, ipsius Dei conspectu in æternum fruituri. Vale. Genuæ. ex Carbonaria. V. Idus Maij. MDCXVIII.

ADMODVM REVERENDO D. Alberto Magno Romam.

TRIENNIVM, vt opinor, iam præterijt, ex quo domum tuam veni tum tui salutandi causa, tum Siluij Cardinalis Antoniani maturioris ætatis effigiem videndi. Hæc enim deerat ad animum meum gaudio cumulandum; posteaquam ab Albinio Attio Tudertino, & Raphaele Gualterio Vrbeuetano duas habui effigies, quarum altera ipse Siluius puer, altera iuuenis repræsentatur. qui quidem viri nobilitate, & virtute præstantes, ac ipsius Cardinalis propinqui, tanta humanitate, & celeritate meo satis desiderio fecere, vt eis me magnopere deuinctum fatear. Tibi vero quantum debeo, qui nulli humanitate cedens, non modo optatam illam effigiem, sed etiam alia multa videri digna mihi ostendisti; & insuper ad amicitiam tuam, qua nihil mihi carius esse potest, aditum patefecisti? Non enim in tuo Musæo quibuslibet picturis locum dare soles, sed ijs tantummodo, quæ eorum manu sunt, qui in pictura floruere: cum illos tibi imitari haud placeat, qui sine vllo delectu tabulas pictas coemunt; in quibus tantum abest, vt vlla sit vtilitas, vt etiam in ijs opera ludatur egregiè. Nam cum ædificium quod-

quoddam deturbandum esset, in cuius pariete inerant Apostolorum effigies, manu Raphaelis Volaterrani pictura insignis, egregiè pictæ; ne simul cum ædificio illæ quoque delerentur, parietem ipsum in superficie secari, & ipsas effigies integras tolli iussisti. ijsque pulchrè circumornatis tuum voluisti cubiculum exornari. quamquam tota domus tua magnificè exstructa, non picturis tantum, sed & libris, & signis, ac eleganti supellectile abundè sit ornata: cum studio talium rerum a natura incitatus in eas pecuniæ multum insumas; & quidquid insumis, tibi verè lucro, haud sumptui esse existimes. nec idcirco tua minor est erga Viros doctos beneficentia; cum bonis externis tanto magis abundes, quanto ijs sapientius vtaris, Deo omnium bonorum largitore ea tibi de hominibus benemerenti conduplicante. Cum enim aliquot è Natione nostra Adolescentes Musicis dediti, alumni Simonis Molinarij ea scientia clarissimi, pietatis causa Romam venissent, in ijs excipiendis, atque adiuuandis ipsa tua magnopere enituit singularis beneficentia. quo quidem facto te non modo virtutem colere, sed etiam erga Viros virtute præditos egregiè animatum esse ostendisti. rari exempli res. cum multi his temporibus oratione benefici sint, quorum auxilio ad rem non plus vti possis, quam eorum, qui iam vita functi sunt. De amicitia vero tua, ex qua mihi plurimum ornamenti, & gloriæ potest accedere, magnopere mihi gratulor; existimoque illud haud paruum esse beneficium; quod nos, vt nos, cum planè nihil simus; vt clarorum tamen Virorum auctoritate innixi, aliquid, atque adeo plurimum esse videmur. ac nobis quidem valde honorificum est, cum ijs Viris placeamus, qui ob egregias suas virtutes clarissimis Viris cari

accepti-

acceptique fuerunt. quis ignorat te in intimis ipsius Cardinalis Antoniani familiaribus fuisse, & sua illum consilia tecum libenter communicasse? nec ille te tantopere amasset, nisi suo te dignum amore cognouisset: quippe qui amicos non ex diuitijs, opibus, aliquo ve priuato commodo, sed ex ingenio, doctrina, & sanctitate æstimabat. Vir ille quidem in omni ætate, omni virtutum genere fuit egregius. &, quemadmodum bene posuit vitæ initia, ita ijs consentanea clausula fuit. vt non ille maiorem ineuntis ætatis commendationem ab ingenij præstantia, quam progredientis, & deficientis a vitæ sanctitate duxerit. Tu verò illius per vestigia ad summam gloriam ita properas, vt nullus ferè tecum loquatur, quin statim singularis tuæ humanitatis, prudentiæ, doctrinæ, probitatis sit spectator, ac testis. Itaque necesse non erat, vt effigiem tuam pulcherrimè pictam mihi ostenderes; quia cum mihi præsens esses, & effigiem virtutum tuarum in animo meo impressisses, altera illa coloribus expressa non indigebam nimirum nihil sapientius, vtilius ve esse duxisti, quàm ex honestis cogitationibus, ac studijs eiusmodi in animo parare auxilia, quibus aduersa toleremus; sæuientis huius vitæ maris impetum frangamus; ac nos in tuto, & tranquillo statu collocemus. Non diuitias, honores, & cætera huiusmodi quærenda, quæ varijs exposita casibus nobis vel inuitis sæpe auferuntur: sed virtutes, & animi bona in quibus nullam homines partem habent, nihilque iuris rerum humanarum inconstantia. nec mirum, cum hoc sit proprium Familiæ tuæ Viros verè Magnos producere, qui eloquentia, & prudentia excellant; & omnes in sui amorem, & obseruantiam pertrahant. nam, vt te omittam,

cuius

cuius modestia in os laudari minime patitur, Petrus ille Magnus, cuius elegantissimæ Orationes omnibus vigent, & in rebus agendis felicitas laudatur, verum esse, quod ego dico, fidem faciet. Ego equidem cum ipsi Cardinali Antoniano, vel mortuo, addictissimus sum. tum te, qui illum imitaris, & assequeris ita amo, & obseruo, vt, quacunque in re opus esset, meum omne studium, operamque omnem tibi libenter præstarem. qua quidem, vt libentius, liberiusque vtaris, ego prius exercendæ humanitatis, benignitatisque tuæ tibi occasionem præbebo: Cum enim Cardinalis Antoniani effigiem ob oculos mihi versari assiduè velim, cubiculi ornamentum, animi incitamentum futuram; te rogo, vt illius exemplar, in parua folij forma, rudi penicillo vtcunque delineatum ad me quamprimum mittere velis. quod si feceris, non paruo me beneficio obstringes; & cum tuam de hominibus bene merendi consuetudinem seruabis, tum ea, quæ ego de ipsa humanitate, benignitateque tua præsens sum expertus, non modo confirmabis sed etiam augebis. Vale. Genuæ. Nonis. Septemb. M D C XVIII.

IOANNI NICOLAO SAVLIO CARREGAE.

Andreas de Benedictis. S. P. D.

Proximis *fortè diebus, cum in Patrui mei Ioannis Augustini de Benedictis bibliotheca obuersarer, in Epistolarum familiarium Ioannis Nicolai Saulij Carregæ nomine librum incidi; quas cum ipsarum iucunditate captus totas perlegissem, ita rediuiuum in illis epistolarum*

larum decus perspicuum, ac familiarem sermonem, venustos dicendi modos; apteque dispositos sales sum admiratus, vt vllis non modo non secundas eas duxerim, sed & omnes antecellere, & eloquentiæ fontis Ciceronis epistolis conferre(penè dixi præponere,)non dubitarim. atque vbi ex eodem Patruo meo (ex illo quippè quis nam is esset, sciscitatus eram) tuum hoc in sæculo agentis nomen fuisse cognoui: & tibi non gratulari, & mihi non gaudere non potui; cum tantum, cuius instem vestigijs, virum habere, eique inter deditos pro ipsius humanitate cooptari contingeret. O te felicem optime Sauli, ac ter, & quater felicem, qui tale doctrinæ summum posuisti, quod nemo adhuc posuit, fastigium. illudque virtutis superasti culmen, quò vel paucis peruenire, ijsque non nisi maximis cum laboribus, contingit. atque eo, mea sententia, felicior, quod in eiusdem placidissimo virtutis gremio positus, alios illam sectantes, aspero ad eam ascensu deterritos desistere, alios medio ascensu lapsu cadere miserrimo tutus prospectas. & herclè ipse inter discrimen subeuntes sum: quod si me in tuorum numero habeas, (quod vel maxime opto) felicissimis tuis auspicijs voti compotem futurum me nequaquam dubito. Vale. Genuæ. Pridie Non. Octobris. Anno a Partu Virginis. M DCXIX.

ANDREAE DE BENEDICTIS.

LITTERARVM *suauitate pascor: ex quibus maximas capio voluptates omnibus voluptatibus anteponendas. Si quidem alteras animi tranquillitas, alteras perturbatio consequitur. satiant istæ, delectant illæ. nec*

ipſe animus dulciori alitur pabulo, quam cum rerum naturam contemplatur, & ex ijs, quæ oculorum ſenſu percipimus, erigitur ad ea, quæ intelligentia comprehendimus. Et certè, cum homo ad excelſa, & ſublimia a Deo conditus ſit, illius proprium eſt, vt litterarum ſcientia animum excolat, earumque cognitione ad ipſius Dei cognitionem aditum ſibi communiat. Sed plærique mortalium inania quædam ſectantur, & in ijs mente, animoque defixi veram ſolidamque gloriam contemnunt. qui quidem cum eam in diuitijs poſitam eſſe exiſtiment, tota errant via, & viuentes, præter auræ popularis neſcio quid, nil reliqui habent. morientes verò in æternæ obliuionis gremio ſepeliuntur. Interim litteræ iacent deſertæ ab ijs, qui, cum opibus abundent, easque ſubleuare poſſint, in facinoroſos potius homines opes ipſas effundunt. & non tam graue eſſet, ſi, cum litteris ſubleuandis laudem merere nolint, ijs non deprimendis culpa vacare vellent. profectò cum ipſis litteris non tam male his temporibus ageretur; neque illæ abiectæ, atque proſtratæ ita duplici vrgerentur ruina, vt ſe ſe erigere non poſſent. Sed ipſos litterarum contemptores omittamus; earumque, quantum poſſumus, tantum nos amatores ſimus. ijs enim a vulgo ſecernimur, & non minus cæteris præſtamus, quam ratione mutis animantibus ipſi homines præſtant. quod verum eſſe cum ipſe noueris, ad ea, quæ in te natura contulit dona, etiam ſtudia doctrinæ, quaſi ornamentum, adiunxiſti. in quibus ita verſaris, vt Latinam linguam in delicijs habeas, iamque in ea tantum profeceris, quantum epiſtola mihi tua indicio fuit. Cuius ego amore ita incenſus ſum, vt nihil vnquam ſenſerim ardentius. Ambo igitur eloquentiam Latinam

amamus,

amamus, suspicimus, admiramur. riuales planè sumus, mi Andrea; nec alter alteri de illius studio vel tantillum concedimus. amamus tamen inter nos; nec alter ægrè fert, quod alter bonum illud consequatur, quod ipse tantopere cupiat. qui quidem amor fortasse causa fuit, cur me nimio plus in epistola tua laudaueris, tantumque mihi in Latina lingua tribueris, quantum ego nunquam sum ausus optare, nedum consequutus sim. Itaque si hæc ipsa epistola in manus eorum fortè inciderit, qui dente maledico omnia carpunt; & quantum alijs laudis accrescit, tantum sibi minui putant; tibi certè negotium non deerit, neque eorum acutissima linguæ tela euitabis. quamobrem te rogo, vt ratione potius, atque veritate, quam sensu amoris, qui sæpe fallitur, rem ipsam perpendas; & ea, quæ de me scripsisti, aut modereris, aut, quod mihi gratius erit, omnino tollas. At quanto rectius nos fecerimus, si eas ipsas laudes Ioanni Augustino de Benedictis Patruo tuo Viro singulari eruditione, & probitate prædito tribuerimus? is enim cum omnibus se bonis artibus expoliuit, tum eas, nisi pietate in Deum innixas virtutum omnium fundamento, inanes prorsus existimat. profectò si domesticum istud, egregiumque exemplar tibi ad imitandum proposueris, preclarum vitæ genus amplecteris; & in hoc itinere gloriæ, per eum cursum, quem ipse Patruus tuus consilio, & prudentia diriget, ad immortalitatis metam peruenies. Itaque quantum existimas eum ætate, & sapientia plus scire, & prouidere, quam te ipsum tibi; tantum tibi prouidendum est, vt eum attentè audias, ac illius consilijs, præceptisque obtemperes. Sed cohortatione non indiges: gratulatio potius tibi debetur, quod a nullo magis, quam ab ipso, vnde in litte-

ris, & in moribus proficias, tibi petendum existimes, atque adeo petas; vt de virtute potius, quam de bonis externis cogitare videaris; cum diuitias stabiles, & diuturnas quæras; nec industria vitæ, nec vigilandi labore ab ijs, qui citò perituras accumulant, vinci patiaris. Ego equidem, cum & Patrui tui amicitia, & amore, quo me complecteris, magnopere mouear; tantum te amo, quantum quis ab alio amari potest; & ad omnia, quæ opus fuerint, me tibi quam paratissimum offero. occasionem tibi gratificandi libenter arripiam. si minus se se obtulerit, hunc tamen animum perpetuò retinebo, eroque tuæ laudis non modo fautor, sed quantum in me erit, etiam amplificator. Vale. Genuæ. ex Carbonaria. XVIII. Kal. Februarij. Anno. MDCXIX.

BERNARDO CASTELLO.

Postvlabat *vetus amicitia nostra, ac tua iam satis cognita virtus, vt aliquid etiam ad te scriberem; & illam quanti facerem, hanc vero quantopere admirarer per litteras ostenderem. Verum, quia tibi notum id esse sciebam: & amicitiam nostram ita firmam, vt nullo adminiculo; virtutem vero tuam ita illustrem, vt nullius testimonio egeat; hoc litterarum officio mihi supersedendum existimaui. in hoc autem proposito diu permansissem, nisi tua singularis industria, quæ in admirabili Tassij Poemate Picturis exornando vteris, de illo me deduxisset; effecissetque, vt ego secreta necessitudinis nostræ conscientia non contentus eam omnibus notam esse vehementer cuperem. Enimuero multis modis cum isto animo laudandus es, qui quantum penicillo, & arte vales, ad hoc*

Poema

Poema decorandum niteris : ita vt quamuis illud antea & sententiarum grauitate, & maiestate verborum nobis gratissimum, iucundissimumque esset; nunc præclaris imaginibus, & ornamentis gratius, iucundiusque videatur. quo Poemate ego ita delector, vt illud sæpissime legam, & ita lego, vt illud mihi in dies magis placeat, atque probetur. pulcherrimæ vero lectionis apud me haud vllum est maius indicium, quam crebra illius repetitio nunquam odiosa, nunquam molesta, semper grata, semperque iucunda, atque lectorem inuitans. Itaque cum sæpe contingat, vt quæ prima dies multis ingenij partubus initium dederit, hæc eadem attulerit finem; hoc Tassij Poema è contrario in dies magis, magisque vigebit; & præsentis ætatis iudicium posteritas ipsa libenter sequetur. At felici nostro contigit fato, vt, cum ipse Tassius ad Hetruscam lyram elegantissima varijs de rebus carmina antea cecinisset, ad tubam maiore postea sonitu Bullionij res gestas caneret; & quem nos in lyricis præstantem agnouimus, eum in Heroicis admirabilem cerneremus. quamuis enim illius eximij ingenij acumen in omni ferè scriptorum genere, quo alios vicit, nobis cognitum sit; in hoc tamen Poemate, in quo se ipsum vicisse videtur, longè patet illustrius. quod quidem Poema tanquam sol inter sidera, sic ipsum inter reliqua Poemata, ipsis pæne obscuratis, præcipuè fulget. cuius Auroram alterum illud Poema fuisse, quod ipse Tassius de Rinaldo adolescente scripsit adolescens, rectè dixerimus. Ab Aristotelis præceptis minime discedens vnius rei argumentum ex nota, veraque Historia sumptum ipse Tassius exsequitur; & super ipsam Historiam multa suo Marte, admirabilia fingit; varijsque digressionibus a

prima

prima propositione dependentibus, illud ipsum argumentum amplificans, vsque ad finem summa dexteritate perducit. Prima autem Poetæ laus in deligenda ex Aristotelis arte materia Poematis, mihi consistere videtur. hoc enim posito fundamento, tota Poematis constructio pulchrior, maiori comprobabitur plausu, ac magis, magisque laudabitur. Quis eum Poetam libenter legat, qui lectoris animum in varias distrahat partes, ac exitus exspectatione, & argumenti obscuritate suspensum teneat, atque incertum? præterea ipse Tassius Historiæ veritatem sequutus in suo Poemate personas inducit, iustitia, fortitudine, & pietate insignes, cuiusmodi ex ipsa Historia eas fuisse constat, quibus, quid deceat, quid aptum sit, diligenter attribuit, & attributum non adimit; ita vt quales ab initio descripserit, tales toto opere, & exitu præstet. illius vero Oratio, quantam vim, & efficaciam habet? quam iucundas translationes? quam præclaras similitudines, & sententias? quam elegantes temporis descriptiones? semper noui aliquid affert, quod alios delectet; semper sui similis est; semper grandis, atque sublimis. nam, & si omnia in hoc viro fuerint Poetica ornamenta, præcipue tamen cernitur admirabilis, & verè Heroica dicendi maiestas. profectò quantum lingua Hetrusca, atque Poesis Torquato Tassio debeat, egregium hoc illius, ac singulare Poema erit testis. scio equidem fuisse, qui dixerit, ipsum Tassium eliciendis lacrymis haud satis esse felicem; a qua ego opinione ita dissentio, vt eum & legentis affectibus suauissime imperare, & eorum quasi quasdam habenas quamcunque in partem velit facillimè deflectere existimem. Quis tam ferus, ac ferreus sit, qui legendo Tancredi in morte Clorindæ lamentationem,

nem, vt alia loca omittam, lacrymas contineat? eo enim minus detrahentis oratio auctoritatis habebit, quo plus res ipsa, cui ille detrahit ex contrario veritatis habet. nec magis est animus ad rectè iudicandum idoneus, si odio, aut amore impediatur, quam probè affectus sit oculus ad suum munus exsequendum, si aliquo impedimento conturbetur. multi enim sunt, qui quam gloriam scribendo consequi desperant, eam aliorum scripta malignè vellicando se consequuturos confidunt. Verumtamen ipsi Tassio, oppugnatio paucorum haud tantum nocuit, quantum defensio multorum profuit. quamuis enim fuerit semper inimica veritati improbitas, virtuti inuidia, ipsa tamen veritas, atque virtus nunquam ita deprimi potuerunt, vt non illa notior, hæc verò fortior emerserit. Ego equidem nunquam adduci potui; vt ea legerem, quæ pro ipsò Poemate, vel contra illud scripta sunt, cum in eo nihil mea quidem sententia iure reprehendi possit, sed omnia admiratione digna sint, adeo vt nullum illius vel impugnandi, vel defendendi relictum esse locum, & neminem ei maledicere, qui se ipsum inscitiæ, aut maleuolentiæ non condemnet, existimem. Sed quid ego ipsius Poematis tibi nunc præstantiam prædicem, aut laudem, mi Bernarde? cum ipsum te nouerim, quam illius studiosus, ac bonus existimator sis. quamque ipsi Tassio vel mortuo addictus, qui eum in vita vnicè amaueris, multisque officijs adiuueris. quin etiam vni ex filijs tuis Torquato nomen indideris, vt huius clarissimi Nominis memoria ei ad virtutem incitamento esset. qui humanioribus litteris, ac Iuris Ciuilis scientia præstans, & insigni laurea parta, ac tanto se nomine dignissimum præbet. Ac mihi quidem, hanc tuam tam propensam voluntatem, & ad

picturam

picturam illustrandam, quam profiteris, & ad Poesim ornandam, quam vnice diligis, consideranti, & liberos tuos, vel picturæ, vel litteris deditos intuenti, domus tua, tuaque omnia Apollini, & Musis consecrata videntur. Vtinam multos socios haberes ad rem litterariam adiuuandam, & tam præclaræ laudis possessionem, quæ nunc pænè vacua conspicitur, simul tecum occuparent multi: magis profectò in litteras, ac litteratos homines id esset, meliusque res ipsa litteraria iret, quam contra nunc ire videmus. Tu verò perge, mi Bernarde, vt cœpisti in hoc tam præclaro vtrtutis ornandæ, illustrandæque sensu, & animum tuum aliorum auaritia liberaliorem faciat. hoc enim nomine haud mihi paulo charior es; quam quod multa mea caussa præstiteris, & in ijs singulari diligentia, atque industria vsus sis. meus vero in te amor, quamuis antea eum ego tibi sæpe declarauerim, & tu illum constantem expertus sis; spero tamen fore, vt deinceps tibi notior & illustrior sit, eumdemque perpetuum experiaris. Cuius quidem tanquam pignus, ac testem hanc epistolam habebis, quæ amicitiam nostram cunctis patefaciet, simulque meum de Torquato Tasio iudicium, opinionemque circumferet. quorum alterum huiusmodi est, vt ex omnibus, quot quot sunt, & fuerunt, neminem cum ipso conferendum existimem; altera verò huinsmodi nititur coniecturis, vt ex ijs, qui venturi sunt, neminem futurum augurer, qui ex Poetica laude ad ipsum adspiret. Vale. Genuæ. ex Carbonaria. XVI. Kal. Quinct. M DC XIX.

LAVRENTIO RAGGIO.

TANTIS *me obstrinxisti amoris vinculis, mi Laurenti, vt me commouere nequeam. quibus alia adiunxisti officij, beneficij: factusque est arctior amicitiæ nostræ nodus, nulla alia re, quam ipsa morte dissoluendus. Itaque magis tuus, quam ego sum, esse non possum; operamque do, vt tibi in amore respondeam, cum ceteris planè rebus nullo modo possim. cum amore autem cetera non congruere vehementer dolerem, nisi illud scirem, te, quæ humanitas tua est, eo ipso esse contentum. humanitate enim ceteras virtutes, quæ in te sunt, quæque aliorum animos tibi conciliant, amabiliores reddis. in te igitur amamus, præter Generis nobilitatem, ingenij subtilitatem, comitatem sermonis, pulcherrimarum rerum cupiditatem, pietatem in Deum, aliasque multas, quas nunc silentio prætereo. quis in adiuuandis amicis promptior? in naturæ causis inuestigandis solertior? in procuranda salute diligentior? Te felicem, qui veram gloriam in virtute, non in diuitijs positam esse existimas; & quamuis mortale corpus habeamus, nos tamen fieri virtute immortales non ignoras. Viues post mortem, in ore omnium gloriosus, ipsi morti, temporique superstes, cum mors contra multorum obliuione apud posteros, non gloria notetur. Sed quid obsecro tibi in mentem venit, de Imagine nostra in tuo Musæo omni genere ornamentorum referto collocanda? me planè rubore perfundit petitio tua, nec tanto dignor honore, qui hanc meam ingenij mediocritatem longè, multumque superat. cum præsertim industria vti velis Bernardi Strotij, qui his temporibus Picturæ est decus, & ornamentum: nec minus vi-*

tę exemplo animos hominum informat, quam penicillo eorum corporeas effigies ad viuum exprimit. Et quamuis id nemini concedere iampridem in animum induxeram, mihique semper neglectui fuerat, tamen, ne aut tuæ caussa noluisse me, aut fugisse molestiam putes, ipsum animum vincam, vt tuæ morem geram voluntati. Verumtamen, ne te amor, vel opinio fallat, prædico tibi, me litteratorum magis vmbram, quam litteratum esse, nec vnquam meruisse, vt inter clarorum Virorum Imagines, quas in ipso Musæo habes, mea obscurior locum teneat. ad quam quidem quotiescunque oculos conuerteris, te rogo, vt non tantum os, vultumque meum, ac lineamenta corporis, sed simul etiam animi effigiem ad voluntatis tuæ nutum promptissimi, paratissimique te aspicere credas. Cumque viuere desinam, mei quadam miseratione permotus hæc pauca ex intimo proferes. hic vere amicus amico, & si non litteratus, at litterarum, & litteratorum amantissimus fuit. Vale. Genuæ. ex Carbonaria XVI. Kal. Quinct. M DC XIX.

A GIO. BATTISTA CASTELLO
Miniatore Eccellentissimo.

QVANDO *frà me stesso considero (Carissimo Sign. Gio. Battista) quei valorosi huomini, che cosi ne i moderni tempi, come ne gli antichi, hanno la Patria nostra in varie maniere illustrata, giudico per certo, che voi col pennello le habbiate apportato tanto splendore, quanto altri habbia mai fatto con l'armi, e con le lettere. Imperciochè fui sempre mai, e sono ancora di tal parere, che non l'ampi e ricchezze, non i superbi edificij rendino chiare,*

chiare, ed illustri le Città, ma si bene la virtù de' Cittadini, e gli egregij fatti loro, e che essi faccino glorioso, ed immortale il nome di quelle. Il che conoscendo esser vero la nobil Patria nostra, e che difficilmente ella potrebbe conseruarsi, se non castigasse i rei, e premiasse i buoni, essendo il castigo, & il premio come due Poli, intorno a' quali ella continuamente rauuolger si dee, è stata perciò mai sempre grata verso i virtuosi Cittadini, e seuera verso i tristi: e così spero che ella vn giorno giudicherà altresi conuenirsi alla di lei gratitudine, che la virtù vostra sia con grandi honori come ella merita, rimunerata. E ben vero, che voi altro honore non hauete mai desiderato, ne altro premio, che il felice testimonio della propria conscienza, il quale vi fà viuere in tal maniera, che senza mirare ad altro, ne alcuna fatica vi par dura, ne alcun tempo longo, nel quale con l'industria vostra possiate alla commune Patria qualche giouamento arrecare. Della quale essendo pure ancora voi natìo, le sete tanto affettionato, che, hauendo in essa insieme con la dolce Famigliuola, e l'altre piu care cose tra noi, ogni vostra cura, e pensiero collocato, finalmente giudichereste non poter uoi meglio spendere la propria vita, che se per lei stessa la spendeste. ma veramente non sareste di cotal animo, se non foste acceso grandemente della pietà verso Dio, la quale è il fondamento di tutta la vita uostra; e se sopra esso non haueste fondato edificio così stabile, e fermo, che porge marauiglia a ciascheduno, che attentamente lo considera. Sin da piu teneri anni hauete sempre tenuto per costante, che sì come l'huomo non può viuere senza l'anima, così l'anima non può viuer senza Dio; e però a lui, il quale è fonte d'ogni bene, in ogni vo-

stra attione hauete in costume di ricorrere. e perche il vitio della ingratitudine troppo vi spiace, conoscete hauer da lui, e non d'altronde quello, che hauete; onde vi rendete degno di riceuere maggior augmento, & accrescimento di gratia di giorno, in giorno. per qual cagione adunque essendo voi cotanto grato verso Dio de' beneficij già riceuuti, non doueranno la Patria, e gli altri, a quali voi apportate tanto vtile, & honore con la virtù vostra, esser grati verso voi vicendeuolmente? ed ecco che la nobilissima arte della Miniatura, la quale ancor che per se stessa sia assai chiara ed illustre, voi nondimeno con le riguardeuoli opere vostre, di tanto splendore hauete ornata, & accresciuta, che se lo Miniare alluminar non si chiamasse, voi cotal nome gli haureste facilmente acquistato; in ricompensa di ciò, ha si fattamente diuolgato il nome, e la fama vostra in ogni parte, che quanto viuerete, e doppo la morte ancora sarete da tutti con perpetua memoria conosciuto, & honorato. e ciò meriteuolmente. che tanto honore non vi potrà mai esser fatto, che risponda alla molta bellezza, e varietà delle opere vostre, & alla grande vtilità, e diletto, che da quelle riceuono i riguardanti. io certamente non le vedo mai, che nel disio di riuederle piu non mi accenda, & all' amor del sommo bene maggiormente non m'infiammi. ne meno con bei discorsi, che con vaghi colori porgete diletto, & vtile altrui; ne meno per quelli, che per questi sete degno di esser lodato, e commendato da tutti. La onde non mi marauiglio punto che tante persone virtuose volentieri si ritragghino nella vostra stanza, si per vedere le vostre bellissime Miniature, e si per godere la vostra parimente diletteuole, & vtile conuersatione: per quelle vi ammirano,

per

per questa vi amano; con quelle ricreano piu l'animo, con questa alla virtù maggiormente l'accendono. perche hà gran forza la varietà de' colori, e delle inuentioni, e grande altresì la varietà de' dotti, e saui ragionamenti vostri. O quanto mi dispiace, che io non possa così spesso, come io vorrei, esser partecipe di cotal frutto, e diletto. mi sforzerò almeno con la miglior parte di me stesso, che è sempre con voi, di esserne priuo piu di rado, che sie possibile. Non sete solito di dipingere, come alcuni altri fanno cose lasciue, e bellezze terrene, dalle quali allettate, & ingannate le misere anime, non altrimente che gli uccelli dalle reti, e i pesci da gli hami, si conducono a mortal pericolo: ma opre spirituali, e di diuotione, le quali destano le anime addormentate in questi beni temporali, a' beni eterni, che sono i maggiori beni, che desiderar possiamo. E che sono altro quei tali, se non alberi infruttuosi, e sterili, i quali occupando la terra vanamente vorrebbono togliere il luogo a' fruttiferi, e buoni? voi all'incontro a guisa di fruttifera pianta siete sempre di fiori, e frutti santi ripieno, i quali per variar di stagione non perdono mai la bellezza loro. Et essendoui dato con ogni studio, e sollecitudine a così nobil arte, & hauendola ridotta a quella maggior perfettione, che si possa desiderare, date ad intendere altrui, che se haueste impiegato l'animo in qual si voglia altra impresa, ci sareste altresì riuscito felicemente. non è marauiglia adunque se, i maggiori Rè, e Principi del Mondo desiderano di hauere le vostre bellissime Miniature per ornamento delle loro reali Camere, accioche mentre dimorano in esse, spediti dalle cose terrene possino piu facilmente contemplar le celesti, e nutrire, e pascer l'animo di così soaue, e nobil

cibo.

cibo. non hanno chi ponga loro innanzi così viuacemente come fate voi, i Sacri misteri della fede, non essendo alcuno a questi tempi, il quale pur da lunge vi seguiti, non che vi raggiunga, o vi s'appressi. E qual piu famoso sia stato in questa arte per li tempi a dietro, se hora viuendo, e mirando l'opere sue, egli forse si riputasse perfetto, mirando nelle vostre poi, come in vn chiaro specchio discernerebbe quanto egli fosse dalla perfettione lontano. sete vero imitatore di quello, che hà fatto quel sommo artefice Iddio, dalle cui mani tutte le cose, delle quali è ornato il Mondo, vscirono perfettissime. qual cosa può far la natura, che voi col pennello non la rappresentiate a gli occhi altrui ageuolmente? quando ella è mai stata piu feconda in generar le cose, che voi copioso in dipingerle? i turbati muouimenti dell'animo, gli stessi pensieri occulti nel cuore, ci fate vedere chiari, & aperti. ma se in alcuna cosa imitate il sopremo facitore, nel dipingere la sua Santissima Madre, ciò fate diuinamente. Spira, parla, si muoue, ò se ella posta in ginocchione adora il suo dolcissimo Figliuolo, ò se recatolosi in braccio affettuosamente lo strigne, ò se leuatasi ardentemente nell'amor di esso tutta si infiamma. O quante volte da marauiglia, e da dolcezza astratto ho detto fra me stesso. se il finto è così bello, il vero che sarà? beati gli occhi, che la videro viua, & hora a faccia, a faccia la vedono in Cielo. Della qual beatitudine voi di già hauete caparra in questa vita, per douer poi goderla appieno nell'altra. poi che viuete in tal maniera, che non solamente non è chi di fuori in detto, ò in fatto possa accusarui, ma ne anco hauete la propria coscienza per vostra accusatrice dentro a voi medesimo. & in questi tempi d'hora, che i vitij regnano, e

le

le virtù ſon poſte in bando, ne gli errori, e tenebre del peccato, ritenere la purità, e chiarezza dell'innocentia, è di perfetta virtù certiſsimo argomento. l'imitatione della quale, e di voi ſteſſo ſimilmente ſarà il maggior Patrimonio, e la più ampia heredità, che poſsiate giamai laſciare a' voſtri figliuoli. ſe ben della proſperità, e buono ſtato, che ad eſsi laſcierete, haueranno cagione di lodarne, e ringratiarne Dio infinitamente. e già eglino per le veſtigia voſtre corrono alla gloria ſi velocemente, che poco ſono lontani ad auuicinarleſi, & apprenderla. Coſi poteſs' io auuicinarmi al ſegno delle lodi voſtre, & agguagliar con la penna quello, che il deſiderio pareggia. Ma ſe ciò io non haurò potuto conſeguire, ſi almeno haurò conſeguito, che, ſi come voi ſete certiſsimo, & io conſapeuole a me ſteſſo dell'amor grande, che vi porto, coſi quei, che verranno doppo noi, conoſceranno l'amicitia noſtra eſſere ſtata al pari di qual ſi uoglia altra uera, ſtabile, e fedele. State ſano. Di Carbonara alli. XXVI. di Genaro. MDCXV.

FINIS.



GENVAE,
EX TYPOGRAPHIA PAVONIANA.
MDCXIX.
SVPERIORVM PERMISSV.

153


MC